



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



R

4<sup>o</sup> M R. 160

Schwarz

fil.

unnat. et genit.

R



CHRISTIANI GOTL. SCHVVARZII

COM. PAL. CAES. ET IN ACAD. ALTORE. PROF. PVBL.

S T L L O G E

PROBLEMATVM  
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM  
DISQVISITIONIBVS ACADEMICIS  
ANTEHAC EXPOSITORVM

QVAE

RATIONIBVS COMPROBANTVR ET EXEMPLIS  
ATQVE AVCTORITATE CELEBRIORVM IVRIS  
NATVRAE DOCTORVM ILLVSTRANTVR.

---

A. S. R. cIc Ic cXXXVIII.

---

ALTORFI NORICORVM  
TYPIS ET IMPENSIS IODOCI GVIL. KOHLESII  
ACAD. TYPOGR.

Bayerische  
Staatsbibliothek  
München

CHRISTIANVS GOTL. SCHVYARZIVS

S. D.

LECTORI BENEVOLO.



Ccipe, BENEVOLE LECTOR, Syllogen  
xxxxii Problematum Iuris Naturae  
et Gentium; quae diuersis temporis  
bus Disquisitioni Academicae in circu-  
lo disputantium exposui. Ea unice ad usum studio-  
sae Iuuentutis fuere comparata, ut haec haberet, ubi,  
sine magno apparatu, ingenii et iudicii facultatem  
identidem disputando exerceret, confirmaretque.  
Argumenta, quae in medium attuli, neque nimis  
sterili, neque nimis diffusa, opera, a me pertra-  
Etata esse, puto. Posteriora cum primis Problemata  
non raro exemplis ex historia petitis illustravi. Sed  
ipsius instituti rationem ex primo, quod his Proble-  
matibus praemiseram, antelogio haud difficulter  
cognosces. Longe plura huius generis Problemata  
proponere constitueram; sed aliorum argumento-  
rum illustrandorum occasio, et quedam quasi ne-  
cessitas, subinde me interpellauit. Interim aequi bo-  
nique facies hanc Syllogen, quam Typographus, me  
tantum non inuitò, nunc exhibet. Vale. Scribebam  
altoris Norimbergensium, A. S. R. cl. l. cc xxxviii.

INDEX  
PROBLEMATVM  
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM  
HAC SYLLOGE COMPREHENSORVM

ET

*NOVEM DISQVISITIONIBVS ACADEMICIS A GENEROS.  
NOBILISSIMIS QVE DOMINIS RESPONDENTIBVS  
ANTEHAC VENTILATORVM.*

DISQVISITIO I, A. 1722.

DEFENDENTE

IOHANNE MAVRITIO FICHTNERO, ALTORFINO:

- PROBL. I. *An genuinum Legum naturaliam Principium sit:  
Naturae cuiusuis rei esse conuenienter uiuendum?* pag. 3.
- II. *Quid sentiendum de illo principio: Facienda esse,  
quae uitam hominum reddant diuturnam et  
maxime felicem; at uitanda, quae uitam  
reddant infelicem, et mortem accelerent?*  
pag. 8.
- III. *An Iuris naturae stricte sic dicti genuinum princi-  
pium sit: Omne, quod pacem externam socie-  
tatis humanae necessario et directe turbat, at-  
que impedit; illud esse uitandum?* pag. 10.
- III. *An detur Ius Gentium a Iure Naturae distinctum?*  
pag. 14.

DISQVISITIO II,

DEFENDENTE

IOHANNE CHRISTOPHORO KRESS  
A KRESSENSTEIN.

- PROBL. V. *An sufficiens et adaequatum Iuris Naturae princi-  
pium sit: Socialiter esse uiuendum?* pag. 17.

VI. An

- VI. *An ius naturae non probabiles tantum, sed et certas, tradat ueritates; adeoque omnino etiam admittat demonstrationem?* pag. 21.
- VII. *An finis iuris naturae, in suo genere ultimus, solo huius uitiae temporariaeque felicitatis ambitu contineatur; an uero intendat etiam, quaerendamque moneat, aeternam felicitatem?* pag. 25.
- VIII. *An homines religione naturali, ceterarumque legum naturalium obseruantia, aeternam salutem consequantur?* pag. 28.
- VIII. *An iuris naturae doctrina proprie pertineat ad philosophiam?* pag. 31.

### DISQVISITIO III, A. 1723

*DEFENDENTE*

ANDREA GOETZIO, NORIMBERGENSI.

- PROBL. X. *An leges naturales sint proprie dictae leges?* pag. 33.
- XI. *An detur, idque ex lumine naturae cognosci possit, uerum DEI in homines imperium?* pag. 39.
- XII. *An dentur etiam Leges naturae permissentes, et quae earum sit efficacia?* pag. 41.
- XIII. *An leges naturales sint immutabiles?* pag. 46.

### DISQVISITIO IIII, A. 1726.

*DEEENDENTE*

CAROLO ALEXANDRO GRVNDHERRO

AB ALTENTHANN.

- PROB. XIII. *An leges diuinæ forenſes Iudeorum adhuc obligent Christianos?* pag. 49.
- XV. *An ius naturae cadat in animantia bruta, et his hominibusque sit commune?* pag. 52.
- XVI. *An leges ciuiles etiam obligent conscientiam ciuium?*  
pag. 57.

XVII. *An furti poena capitalis, legibus ciuilibus sancita, sit iusta?* pag. 61.

XVIII. *An potentia, uirtusque maior, per se afferant ius imperandi aliis, adeoque sint iustae caussae, ob quas aliquis subiectiōem et obsequiūm ab aliis exigere posset?* pag. 63.

## DISQVISITIO V, DEFENDENTE

VWOLFGANGO ANDREA MERKELIO, NORIMBERGENSIS.

PROB. XVIII. *An uoluntaria subiectio, et mutuus imperantis atque subiectorum consensus, sit unica iusta Imperii caussa?* pag. 65.

XX. *An maiestas imperantibus immediate conferatur a DEO?* pag. 66.

XXI. *An caussa et origo potestatis atque imperii parentum in liberos naturali ratione proxime existat et cognoscatur ex generatione et educatione?* pag. 70.

XXII. *An consensus, deuictorum necessario requiratur ad producendum afferendumque Ius uictoris in hostes iste deuictos, corumque res occupatas?* pag. 73.

XXIII. *An negotiatio sit fundamentum eius imputationis, qua factum refertur ad facientem, siue auctorem, tanquam ad caussam?* pag. 76.

XXIII. *An fundamentum imputationis moralis, qua ius apud applicatur ad factum, factoque tribuitur moralis bonitas, uel prauitas; iustitia, uel iniustitia; si conuenientia et disconuenientia actionis cum lege?* pag. 78.

XXV. *An fundamentum imputationis meritoriae, qua scilicet merito cuiusvis facti, eiusque auctoris, aequaliter, sit pars sanctionalis legis?* pag. 79.

DIS-

DISQVISITIO VI, A. 1727.

DEFENDENTE

CAROLO CHRISTOPHORO OELHAFEN

DE SCHOELLENBACH ET EISMANNSBERG.

- PROB. XXVI. *An bellum punitium, idque iustum, detur inter gentes liberas? siue, an sit iusta belli causa, si populi hominesque extranei, nobisque haud subiecti, male agant, et peccata contra ius naturae admittant, quibus quidem nos, nostrisque ciues, et foederati, non lacadantur?* pag. 81.
- XXVII. *An fas fuerit, Americanos, propagandae Christianae religionis causa, bello prosequi?* pag. 85.
- XXVIII. *An denegatio transitus per alienum territorium sit iusta belli causa?* pag. 88.
- XXVIII. *An ius stupulae et negligalium repugnet iuri naturae et gentium, ac, si exigatur, aliis populis iustum praebeat belli causam?* pag. 92.
- XXX. *An matrimonium denegatum causam iustum bello praebeat?* pag. 95.

DISQVISITIO VII, A. 1728.

DEFENDENTE

IOH. SIGISMVNDO MOERLIO,

NQRIMBERGENSI.

- PROB. XXXI. *Quodnam sit verum fundamentum praerogativaec ac praecedentiae inter gentes liberas, carumque imperantes?* pag. 97.
- XXXII. *An illico pro iniuria habendum, armisque vindicandum sit, si quis populus uni alterius populo illud ius in suo deneget, quod aliis externis promiscue concedat?* pag. 100.
- XXXIII. *An Monopolia aduersorur iuri naturae et gentium?* pag. 101.

XXXIII. Ad

**XXXIII.** *An violenta uitiae nostrae defensio saltem sit licita, nec praecepta?* pag. 104.

**XXXV.** *An archichalassus, et classiarii, sint auloxeret, si mandato superiorum obstricti, in puluerem tormentarium nauis suae ignem iniiciant, ne ueniant in potestatem hostium?* pag. 107.

**XXXVI.** *An sint auloxeret habendi, qui, capitis a iudice condemnatis, lacram mortis sententiam, iussu magistratus sui, ad euitandam acerbiorum poenam, ipse exequuntur?* pag. 110.

## DISQVISITIO VIII, A. 1730.

*DEFENDENTE*

**VWOLFGANGO ALBERTO SPISIO,**  
**NORIMBERGENSI.**

**PROB. XXXVII.** *An imprudentia et error pacientis, in quo sua ipse culpa uersatur, pactum reddat irritum?* p. 113.

**XXXVIII.** *An pacta metu extorta sint seruanda?* pag. 119.

**XXXIX.** *An fides etiam haereticorum, et profanae religionis hominibus populisque, sit seruanda?* pag. 126.

## DISQVISITIO VIII, A. 1731.

*DEFENDENTE*

**VOLCMARO DANIELE STOERIO,**  
**NORIMBERGENSI.**

**PROB. XXXX.** *An fides rebellibus data sit seruanda?* pag. 133.

**XXXI.** *An ad iustitiam contractuum permittatoriorum, sive onerosorum, lege naturali necessaria sit aequalitas pretii, et rei atque operae?* pag. 137.

**XXXII.** *An usurae repugnant Iuri naturae?* pag. 146.



---

Q. D. B. V.

*A*D disquirendum proponere constitui quaedam <sup>Instituti</sup> ratio.  
PROBLEMATA IURIS NATVRAE ET GEN-  
TIVM. Nullas hic nouas , aut ἀρχαὶ,  
promitto sententias. Simplicitatem maxime amo sectorque,  
cum primis in morum doctrina , cuius praceptiones uerae  
non ab ingenio arbitrioque hominum dependent. Tota  
buius instituti ratio non ad alicuius doctrinae uendita-  
tionem , sed ad usum studiosae iuuentutis , comparata est.  
Huic suggeruntur argumenta, de quibus pro more Academico  
facili opera disputare possit. Quae si aliquando obuia et  
facilia , neque satis deducta , uidebuntur ; eo certe ualent ,  
ut , qui ingenii sui iudiciique experimentum facere uelint ,  
non rerum difficultate , sumtuumque faciendorum rationi-  
bus , ab honestis conatibus deterreantur ; sed ipsa etiam  
exercitii facilitate ad maiora felicius audenda praepa-  
rentur. Sententias , quas disquisitioni subiicio , non ap-  
pello Problemata , nisi latiori notione ; quoniam non  
omnes sunt generis eiusdem. Cuiusuis Problematis the-  
sin primo brevibus uerbis propono , adiecta aliquando  
eius expositione ; deinde singulis rationes quasdam et pro-  
bandi argumenta addo ; ut hoc etiam modo intelligent bu-  
ius disciplinae cultores , nibil se recte scire , neque animo fa-  
tis

A

tis firmo agere posse , nisi cuius rationem queant redere. In hoc enim homo doctus potissimum differt a rudi literarumque experte , ut ille eius , quam cognouit , ueritatis certa simul principia et rationes intelligat ; hic uero uel nullas , uel exteriores tantum leuesque , nouerit caussas. Evidem non omnia , quibus propositas sententias stabilire conor , argumenta eiusdem ponderis sunt ac ualoris ; at neque omnium ingeniorum eadem est conditio. Alia non acquiescunt , nisi interioribus et reconditis rationibus conuincantur ; alia capiuntur faciliter , si rem illustraueris magis , quam demonstraueris. Sed et annotabo scriptores quosdam , tum qui idem nobiscum sentiunt , tum quorum sententia a nobis aliena esse uidetur ; ut disputaturi in utramque partem ueluti indices quosdam auctorum buius doctrinae in promptu habeant , a quibus amplius instruantur. Qua in re sequor exemplum uirorum de hac disciplina bene meritorum. Rationes dubiorum decidendorum nolo ex instituto adicere , ne iis , in quorum gratiam haec problemata exhibentur , differendi materiam quasi praeripiā. Ordinem problematum propounderum eum praecipue sequi uisum est , quem compendium quoddam iuris Naturae , in quo illustrando antebac uersatus sum , mibi forte suppeditauit ; nisi quod quaedam de principiis iuris naturae primo loco proferam. Haec , ad reddendas excusandasque instituti rationes , breuitus praemonenda duxi.

PRO-

## PROBLEMA I.



Ltimum et genuinum Philosophiae  
de legibus naturalibus principium  
est: NATVRAE CVIVSVIS REI  
CONVENIENTER VIVENDVM.

E K Θ E Σ I Σ.

*An genuinum Legum naturalium principium sit: naturae cuiusvis rei esse convenienter vivendum?*

OBSERV. I. Quamuis non absolute necesse sit, ut quae-ramus ultimum idque unicum principium doctrinae moralis, iurisque uniuersalis, h. e. propositionem, siue legem naturalem generalissimam, ex qua ceterae leges naturales omnes, tanquam conclusiones et consectaria, deducantur; cum etiam ex secundiariis et subordinatis principiis ueritates morales cognoscantur, totque particularia principia habeantur, quot sunt in disciplinis theoreticis uera iudicia de natura earum rerum, circa quas humanae actiones uerlantur: nihilominus tamen id ad eruditionem et methodum acromaticam certo modo facit, nec parum utilitatis aliquando habet. Neque uero necesse est, ut cum D N. BVDDEO, *Philos. Pract. P. II, cap. IV, sect. I, § 22,* negemus, tale principium haberri constituique posse. Id enim satis indicat *χείρ* uniuersalis et ordo, quo omnia in hoc uniuerso apte coniunguntur: dummodo cognitarum linguarum eiusmodi uerba semper existant, quae *χείρ* istam uniuersalem, eiusque ideam, satis luculenter exprimant.

OBSERV. II. Dum de Iurisprudentiae naturalis principio disputatur, nomen hoc non una ratione solet accipi. *Iurisprudentia* enim *naturalis* primum *generalis notio*ne non est, nisi *prudentia* *leges diuinis, hominum felicitatem intendentis, ex contempla-*

4

---

temptatione naturae rerum indagandi, explicandi, et ad actiones humanas applicandi. Quo ampliori ambitu, Iurisprudentia naturalis complectitur, quicquid alias in uniuersa Philosophia morali, de pio, honesto, iusto, et decoro, ex lumine naturae praecipitur; neque veteres Philosophi Iurisprudentiam naturalem a Philosophia morali alias diuersamque nouerunt. Et MELANCHTHON, sub initium *Elementorum doctrinae morale*, p. 3, recte dixit: *totam Philosophiam moralem non esse, nisi explicationem legum naturalium.* Deinde Iurisprudentia naturalis *speciali notione* non omnes leges naturales exponit; sed eas tantum, quae ad uitam hominum socialem, non solum iuste, sed etiam honeste decoreque, degendam pertinent, ut homo utile membrum societatis humanae esse queat, et tum aliorum felicitatem magis prouehat, quam impedit, tum ex uita sociali sibi ipsi subsidia comparet tranquille feliciterque uiuendi. Qua ratione PVFENDORFIUS, et alii, qui hunc in primis secuti sunt, Iurisprudentiam naturalem tractarunt. Conf. ET VINC. PLACCIVS, in *Prolegom. ad Accessiones Iuris Naturae.* Denique, quae IVRISPRVDENTIA NATVRALIS *specialissima notione* dicatur, infra in *expositione Problematis III* commonistrabitur. Nos in praesenti *Problemate* loquimur de Iurisprudentia naturali generatim et latius sic dicta; quam, maioris discriminis caussa, *Philosophiam de legibus naturalibus* appellamus.

OBSERV. III. Evidem non nescimus, huic principio a non nullis obiici solere obscuritatem; uerum id non in se obscurum est, sed ob imbecillitatem cognoscentium; cum in primis *ideae uniuersales*, quae per principium aliquod generalissimum exprimi debent, saepe a minus exercitatis haud adeo facile capiantur. Credimus uero, ubi diligens explicatio accesserit, hoc ipsum principium tam euidens fieri posse, ut de eius ueritate nemo iure dubitauerit. NATVRAE uero uocabulum, (quod alias ambiguum est, uti praeter alios B. STVRMIVS noster in

in *Disputatione de Idolo Naturae animaduertit*,) nobis hoc loco ampliori notione acceptum notat ac comprehendit id omne, quod naturali ratione sciri potest de *essentia*, de *attributis* et *accidentibus quibuscunque*, de *causis*, de *viribus* et *effectibus*, de *ordine*, et de *fine* eorum *entium* atque *objectorum*, quae *influunt* in actiones morales, et circa quae actiones nostrae uersantur. Quae si quis non capit intelligitque, is uidetur Ius naturae non a prima origine repetere, nec summas legum naturalium rationes reddere posse. Quo igitur accuratior et plenior adest cognitio rerum naturalium, circa quas uersantur actiones humanae; eo perfectior adesse poterit scientia legum naturalium. Vnde iam olim quidam recte dixit: *ex bona Physica fieri bonam Ethicam*. CONVENTENTIA autem illa, de qua loquimur, consistit in directione, et naturali relatione ac proportione uitae nostrae, siue actionum nostrarum moralium, cum natura rerum.

PROBATOR sententia nostra:

I, Quia nulla lex uere naturalis afferri potest, quae quidem ex lumine naturae sit demonstranda, quin ex hac regula potremo probari queat. Et, si qua lex naturalis afferatur, quae nullo modo per hanc regulam ex contemplatione naturae rerum possit deduci, illa uel falsa foret, uel, si uera fuerit, aut pro ueritate indemonstrabili haberi deberet, quae nequeat a priori per rationem demonstrari, ac tantum singulari perceptione et interna quadam evidentia moralem criterio apprehendatur; aut certe non ad philosophiam de legibus naturalibus, sed uel ad humanas, uel ad diuinitus revelatas leges, pertinerer. Quemadmodum uero ex hac generalissima regula proxime fluunt et illae generales praeceptiones: *mala esse fugienda*; *bona esse expetenda*; *maiora bona minoribus esse preferenda*: ita ex his ceterae regulae uitae humanae et sic dictae leges naturales

turales omnes suo ordine et gradu deriuari possunt: quarum aliae dici solent REGVLAE IVSTI; aliae, REGVLAE HONESTI; aliae, REGVLAE PRUDENTIAE POLITICAE et DECORI EXTERNI; quae singulae, uti postea monebimus, certis disciplinarum limitibus circumscribi possunt.

**II,** *Quia*, nisi ultimae rationes officiorum et iurium nostrorum ad hoc principium, et per illud, ad ipsam naturam rerum, referantur, nos haud sati certi esse possumus, utrum reuera detur ius aliquod naturale, legesue eae, quas naturales appellamus, a natura sint constitutae; an ad alias disciplinas pertineant; an denique forte in sola opinione et consuetudine hominum sint fundatae?

**III,** *Quia* hoc est ultimum caput omnis ueritatis doctrinaeque moralis, quae ex ratione cognoscitur; quod quidem non eget ulteriore probatione; sed, dummodo naturas rerum recte perceperimus, eo ipso tam facile intelligemus, quomodo iis conuenienter congruenterque uiuendum; quam facile etiam tenerrimi pueri, in rebus naturalibus, u. gr. cognito assere, ferro, aut lapide, intelligunt, his non conuenire, ut comedantur. Atque adeo et nos in praesenti non tam ueritatem, quam usum huius principii, comprobatum imus.

**III,** *Quia* hoc principium quasi vinculum est, quod disciplinas theoreticas, in quibus naturae rerum inuestigantur, cum practicis pulcherrime connectit, illarumque usum praestantissimum declarat: ultra quod principium si quis progredi uelit, is non poterit non in ipsas disciplinas theoreticas dilabi. *Quia* de re iam uberioris mentem nostram exposuimus, tum in *Programmate*, quod A. clo locc x orationi de Philosophia ueterum Germanorum praemisimus; tum in *Epistola gratulatoria*, quam adiecimus *Ethicae Hagendorianae*.

**V, Quia**

V, Quia alia principia , aut non uera sunt , adeoque nec in principiis moralis doctrinae haberi merentur ; aut , si uera sunt , plerumque non sunt , nisi secundaria ac *subordinata* , et quaé per hoc nostrum principium adhuc probari demonstrarique debent.

**CONSENTIVNT :** *ex antiquis nominatim STOICI*, qui frequentissime praeceperunt , naturae conuenienter uiuendum esse: dummodo hoc principium luculentius explicassent , aut naturam DEI et rerum conditarum rectius introspexissent , ne , dum u. gr. homines natura diuina praeditos et particulas DEI esse crediderunt , maiora , quam humana , officia ab iis exegissent. Nihilominus huc pertinet egregius locus Chrysippi , Philosophi Stoici , quem PLVTARCHVS , in Libro de contradictionibus Stoicorum , Graecis uerbis refers . Non aliter , inquit , uel magis proprie perueniri potest ad explicationem bonorum ac malorum , virtutum , felicitatis ; quam si initium ducatur a communi natura et mundi gubernatione. Ab his enim arcessenda est de bonis et malis disputatio ; cum non sit ullum aliud melius principium , aut relatio , neque aliam ob rem naturae consideratio adhibeat , quam ad discrimen bonorum et malorum constituentium. *Quem Chrysippi locum luculenta disputatione quondam illustravit B. Georg. Alb. Hagendornius* , de Moralibus Chrysippis e rerum natura petitis ; quae disputatione Ethicae tripartitæ eiusdem Auctoris iam est adiecta. Imo , huc etiam pertinet , quod CICERO , Libro III de Finibus bonorum et malorum , scribit. Physicae , inquit , non sine causa tributus est honos ; propterea , quod , qui conuenienter naturae uicturus sit , ei proficiscendum est ab omni mundo et eius procuratione. Nec uero potest quisquam de bonis et malis uere iudicare , nisi omni cognita ratione naturae et nitae etiam Deorum , et utrum conueniat , nec ne , natura hominis cum uniuersa ? *E recentioribus DAV. MEVIVS , ICTUS* , in Nucleo Iuris Naturae et Gentium , idem principium agno-

*agnonit, sed non satis evidenter deduxit, explicauitque. Additum est, IO. GEORG. VVACHTERVM, in Originibus Iuris naturalis, itemque Auctorem Anonymum Libelli menstrui, qui inscribitur ECLECTICVS, Parte III, p. 189, seqq. et P. V, in Praefatione.*

DISSENTIVNT: generatis fere omnes ii, qui in tradendis doctrinae moralis ac iurisprudentiae universalis systematis bus alia principia commendant; quamvis in probanda sua doctrina nolentes uolentes saepe necesse habeant se ad nostrum principium referre. Nominatim uero hoc reicit B. EPHRAIM GERHARDVS, in Delineat. Iuris Natur. Lib. I, cap. IX, §. 65.

## PROBLEMA II.

*Quid sentiendum de illo principio: facienda esse, quae hominem felicem reddant, etc.*

**N**on errant, qui pro norma uniuersali actionum humanarum, et fundamentali propositione Iuris naturae late sic dicti, hoc principium habent: FACIENDA ESSE, QVAE VITAM HOMINVM REDDVNT ET MAXIME DIVTVRNAM ET FELICISSIMAM; AT EVITANDA, QVAE VITAM REDDVNT INFELICEM, ET MORTEM ACCELERANT.

## EXPOSITI.

Quemadmodum alias iam constat, generalia quaedam principia haud aegre inter se posse conciliari; ita non dubitamus, quin et hoc, quod modo proposuimus, cum superiori queat componi. Imo alterum ab altero adiuuari quasi et illustrari circumscribique posse, nobis persuasum habemus. Interim probatio officiorum nostrorum ex hoc ipso principio mihi ita differre uidetur a probatione ex superiori principio, quod NATVRAE CONVENIENTER VIVENDVM iniungit; uti demonstratio, quae fit a posteriori, differt ab ea, quae fieri solet a priori. Sic, e. g. si contemplor

plor naturam diuinam, et in ea DEI bonitatem, potentiam, maiestatem, ceteraque attributa et opera, deprehendo, ac praeterea confero naturam et conditionem ipsorum hominum; pronissima ratione, et ueluti *a priori*, hinc demonstrare licet, nihil conuenientius esse naturae diuinae humanaeque, quam ut **DEVS AB HOMINIBVS COLATVR.** Quod si uero cultus diuini necessitatem ex eo affero uindicoque, quoniam eius neglectus impediret felicitatem hominis; argumentatione tantum ab effectu, et uelut a posteriori, utor: quae ipsa tamen argumentandi ratio non prorsus insuper habenda; quoniam effectus saepe sunt quasi *sensibiores*, adeoque ad percipiendum multis quodammodo faciliores.

**PROBATVR:**

**Quia**, cum omnes leges naturales morumque praeceptiones felicitatem hominis intendant, eae etiam ad hoc ipsum principium referri possunt; dummodo felicitas hominis satis luculenter et recte explicetur.

**CONSENTIVNT**, et probant hoc principium: **D N. THOMASIVS**, in *Fundamentis Iuris Nat. et Gent.* Lib. I, cap. VI, §. 21, et seqq. ubi eam uitam hominum uocat felicissimam, quae et maximam laudem mereatur, et suauissime transigatur, et omnium rerum gaudeat sufficientia. **B. EPHR. GERHARDVS**, in *Delineat. Iur. natur.* Lib. I, cap. 7, §. 32 et 33, aliique plures. Neque multum hinc abit sententia **DN. VVOLFII**, in *Vernäffrigen Gedancken von der Menschen Thun und Laffen*, P. I, cap. I, §. 12, ubi hoc axioma generale proponit: *Thue, was dich und deinen, oder andrer, Zustand vollkommen mache; unterlasse, was ihn unvollkommen mache.*

**DISSENTIVNT** generatim, qui alia legum naturalium demonstrandarum principia prima praeferunt. Vid. **HOCHSTETERVS**, in *Collegio Pufendorfiano*, pag. 159, qui putat, in hoc proposito principio, *fructum et effectum officiorum socialium substitui cauissae, sine medio.*

## PROBLEMA III.

*Quodnam  
sit genui-  
num princi-  
pium Iuris  
Naturae  
strictius sic  
dicit?*

**I**URIS NATVRAE strictius sic dicti genuinum summmumque principium est: OMNE, QVOD PACEM EXTERNAM SOCIETATIS HVMANAEC NECESSARIO ET DIRECTE TVRBAT ATQVE IMPEDIT, ILLUD ESSE VITANDVM. Ex quo proxime consequitur: Illud, quod pacem externam necessario conseruat, esse faciendum; et, quod eandem neque necessario turbat, neque necessario conseruat, illud, respectu aliorum hominum, non bis dici posse licitum.

## EKOSIΣ.

Ingens sane numerus est spcialium legum naturalium, quae ad felicitatem generis humani prouehendam comparatae sunt, et quae ex contemplatione naturae rerum elici demonstraque possunt; quibus uniuersis satis accurate explicandis cum una disciplina vix sufficere videretur, viri quidam eruditii omnes illas leges naturales, sive regulas uitae humanae ex lumine naturae cognoscendas, in certas classes dispescere, easque ipsas classes peculiarium disciplinarum cancellis ueluti circumscribere, coepierunt, eo potissimum consilio, ut non tantum in singulis partibus illustrandis facilius feliciusque elaborari possit; sed etiam ut iurium officiorumque gradus sic apertius a se inuicem discernantur. Atque adeo ex his eas uitae humanae regulas legesque naturales, quae officia hominum ad externam tranquillitatem maxime necessaria dirigunt, et sine quibus nulla societas humana constare, ac ne externa quidem pax haberri queat, vocant REGVLAS IVSTI, easque in peculiari disciplina, quam IUS NATVRAE stricte sic dictum appellant, pertractandas censent;

sent; quo nimurum, quasi uno complexu comprehendantur eae leges naturales, quibus homines adhuc plane rudes et nulla iam virtute imbuti ad societatem debeant informati, et ex quibus fluant non solem officia maxime necessaria, quae uel ab iniuris hominibus exigere liceat; sed etiam uera et perfecta iura, quae nobis vindicare, et in statu naturali ui belloque aduersus alios recte tueri, possimus. Qualia officia qui obseruant, satis quidem facere dicuntur IVRI NATVRAE restrictius sic dicto; h. e. hi, quantum in se est, pacem externam quidem sectantur, neque alii homines habent, qui tunc de iniuria sibi illata recte queri possint; neutquam tamen explent omnes leges diuinias ex lumine naturae cognoscendas; sed tantum e perpetuo bello et ueluti e statu bestiali egredi, et ad maiora officia praestanda, quae reliquis legibus praescribuntur, quodammodo praeparari incipiunt, ne scilicet *ad uitam cum aliis agendam, virtutemque comparandam*, plane inepti inutilesque existant. Sed praeter istas regulas iuris stricte sic dictas dantur etiam REGVLAE HONESTI, h. e. eiusmodi leges naturales, quae faciunt ad maiorem hominis perfectionem felicitatemque, et in primis ad eius animi tranquillitatem, quam classem legum naturalium ad philosophiam moralis strictius dictam, quam et Ethicam uocant, referri uolentes et partem earum, quae nominatio cultura DEI respicit, sub nomine REGVLARVM PIETATIS, in Theologia naturali expioni iubent. Ex harum legum obseruatione officia perfectiora existunt, quae nisi ab hominibus iam magis emendatis proficiunt non possunt. Praeterea datur classis legum naturalium, quae per se non exigunt officia uel ad externam, uel ad internam tranquillitatem obtinendam absolute necessaria; interim tamen per modum consiliorum ostendunt, quomodo iuribus nostris felicius uti, et in primis actiones licitas, h. e. ~~non~~, quae nulla classe legum naturalium paullo ante indicatarum et principiantur, uel uetantur, ad maiorem utilitatem commoditatemque dirigere, queamus. Cuius generis leges naturales laxius sic

dictas, non male, ni fallor, REGVLAS PRUDENTIAE POLITICAE et DECORI EXTERNI appellare possumus. Neque enim necesse esse puto, etiam peculiares regulas decoris interni statuere; cum has a regulis honesti parum utili luculentiae ratione dirimantur. Quemadmodum vero singulis his recensitis classibus legum naturalium, doctrinae causa, peculiaria quaedam principia, quae nihilominus postremo ex CONVENTENTIA NATVRÆ comprobenduntur, praefiniri queunt; ita persuasi sumus, illud, quod in hoc PROBLEM. III proposuimus, optimum luculentissimumque esse principium earum singularium legum naturalium, quae IVRE NATVRÆ et GENTIVM καὶ ἔθνη sic dicto comprehenduntur. Quod principium etiam affirmante sententia ita posse efferi, iam alii animaduerterunt: IUS SVVM CVIQVE ESSE TRIBVENDVM, i. e. meminem in usu eius, quod ei competit, esse turbandum.

#### PROBATVR:

I, Quia ille, qui sciens et prudens temereque turbat pacem externam, profus abutitur natura humana, a DEO ad pacem ordinata, eamque intra et extra se perpetuis turbis et periculis exponit, sequi indignam reddit, cum quo alii socialiter uiuant, et cuius felicitas adiuuetur. Igitur omnino illud principium, quod *externam pacem non turbandam* inculcat, ea maxime officia exigit, quae ad socialem uitam absolute sunt necessaria, et sine quibus ne facimus quidem felicitatis humanae gradus haberi potest, h. e. quae IVRIS NATVRÆ angustius sic dicti nomine comprehenduntur.

II, Quia hoc ipsum principium, uti uerissimum, ita et planissimum intellectuque facilissimum est; ex quo scilicet pronissima ratione sequitur, ALIOS NON ESSE LAEDENDOS, et PACTA ESSE SERVANDA; quia nemo non uidet, haud posse fieri, quin pax externa maxime turbetur impediaturque, ubi temere laedantur alii, fidesque data non seruetur. Haec vero secundaria pracepta sunt veluti columnæ, quibus totum *systema IURIS NATVRÆ* et *GENTIVM καὶ ἔθνη* sic appellari innititur.

III, Quia

III, Quia hoc ipsum principium omnino regulas iuris stricti omnium luculentissime discernendas ostendit a *regulis benefi et prudentiae politicae*. Etenim, quamvis et hae utique hominem instruant officiis paci externae colendae mixifice inservientibus ; eae tamen non per se exigunt, sed magis supponunt, officia illa absolute necessaria ; quoniam ulterius progressiuntur; et contra illi saltem externe tranquilli pacatique uiuere possunt, qui non perfecta uirtute et prudentia sunt ornati.

**C O N S E N T I V N T :** DN. GVNDLINGIVS, qui, in *III Parte Viae ad ueritatem*, IV<sup>s</sup> NATVRAE stricte sic dictum certis limitibus circumscript, et luculentissime exposuit, ac uel hoc nomine de hac eximia eruditiois humanae parte optime meritus est. Item B. EPHR. GERHARDVS, in *Delineat. Iuris Natur. Lib. I, cap. VIII.*

**D I S S E N T I T** quodammodo DN. THOMASIVS, in *Fundamentis I. N. et G. Lib. I, cap. VII, §. XVIII et XLII.* qui quamvis opera nunquam facis laudanda ad regulas uitae accuratius discernendas uel primus aditum aliis aperuerit ; attamen, cum omnibus REGVLIS RVSTI, quae in Iure naturae angustiore notione sic dicto explicantur, cognoscendis, demonstrandisque, hoc principium destinauerit : QYOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS ; a sententia proposita fere recedit. Etenim, quamvis illud *axioma omnino faciat ad illustranda praecepta moralia* ; attamen, quod dubium pace uiri illustris proposuerim, magis universe eius generis homines officii certo admonet, et uelut *κατ αἰγαίων* conuincit, quorum uoluntas iam est emendata, aut qui ex aliis regulis iam scire possunt, an reuera illud iniustum sit, quod sibi nolunt fieri ab aliis ; quam illos, quorum uoluntas nondum est emendata, et qui pri-  
mum incipiunt instrui officiis ad pacem externam maxime ne-  
cessariis. Tunc enim fieri poterit, ut hi, nisi ex alia regula cognoscant, quid reuera bonum iustumque sit, hoc axiomate abusi, pro uoluntate sua adhuc corrupta hinc existiment, nihil alteri ad explendas eius cupiditates denegandum esse, quod sibi ad similes cupiditates explendas denegari ipsi nollent, aut aegre ferent. Taceo, quod utique ex hoc *axiomate* non solae regu-

Iae iuris stricti; sed etiam alias generis praecepta elici possint, dum, e. g. video, me non debere aliis denegare officia humanitatis, (quae tamen alias proprie ad regulas iuris stricti non pertinent,) quia eadem nec mihi denegari uelim.

### PROBLEMA IIII.

*An detur  
Ius Gentium  
a Iure Naturae di-  
uersum?*

**I**VS GENTIVM, aut ex libera gentium uoluntate introductum, aut alias a Iure Naturae genere distinctum diuersumque, quod reuera omnes gentes obliget, non datur.

#### E K Θ E Σ I Σ.

Nomini *Iuris Gentium* uariae res subiiciuntur: id quod maxime ex negligentia et ignorantia scriptorum, itemque ex studio gentium, factis suis praetextum quaerentium, evenisse credibile est. Recte enim IO. FRID. HORNIUS, in *Polit. Architect. de Civitate, Lib. II, cap. VIII, n. XI, p. 481*, animaduertit, non raro usu uenire, ut in rebus difficilioribus inuestigandis, quasi redimendi temporis causa, uel compendio certo, ad *Ius gentium* recuratur; sed, hoc uulgari effugio, aut praetextu, in omnes casus comparato, plurima inexplorata relinqui: quoties difficilioris alicuius iuris ueritas demonstranda sit, *non gentium allegari*, eiusque adspicu, interdum superstitione credulitate percelli animos, ut curiosiori perscrutatione supersedeant, et uisa interim pro compertis acceptent. Quod sicut prima facie pronam apertamque caussarum cognitionem prae se fert, ambitioneque pollicetur; ita in progressu, ubi connexio et consonantia iurium, ut ultima primis respondeant, quaeritur; inextricabiles difficultates, et conclusiones confusae, aut aduersae inuicem consecutiones, incondito partu solent produci. Quae obseruatio non est nullius momenti. Interim, si plures uocis *iuris gentium* significations uelut ad certa genera referre uelimus; notandum est, (1) aliquando *Ius gentium* simpliciter, tanquam *synonymum pro Iure naturae* dici; cuiusmodi exempla iam alii ex Cicerone, Seneca, Quinciliano, Lactantio, antiquis Iurisconsultis, aliisque, collegerunt. (2) aliquando *Ius gentium* non quidem simpliciter pro toto iure naturae dici, sed quatenus eius leges peculiariter ad integras gentes earum-

earumque actiones diuidicandas accommodantur, adeo ut hinc intelligamus, dari etiam inter gentes liberas, haud secus ac inter singulos homines, mutua tum iuris stricti, tum humanitatis, officia, quorum illa ad continendum nexum externaque tranquillitatem gentium absolute necessaria sunt; haec praeterea commoditatem utilitatemque mutuam magis prouehant. Qua notione leges Iuris naturae ad integras gentes et respublicas accommodatae recte *Ius gentium* appellantur; quale *Ius gentium* non tanquam diuersum iuris genus, sed tantummodo tanquam pars et peculiare caput, ab integro *systemate Iuris naturae* differt. Neque tamen, propter usum et excellentiam eiusmodi legum, inconueniens aut inutile fuerit, Leges istas Iuris naturae ad totas gentes accommodandas seorsum considerare, et apto ordine proponere, magisque illustrare, ita quidem, ut non omnia huc trahantur, quae *Ius naturae* praecepit, aut interdicit; sed in quantum id regit actus publicos, qui mutuam inter gentes habent relationem. Denique (3) obseruare licet, nomine *iuris gentium* non nullos aliquid designare uoluisse, quod non quidem sit ipsum *ius naturae*, neque eius pars; sed aliud quid a iure naturae diuersum, quod nihilominus omnes gentes obliget. Varias autem huius nominis significationes diligenter annotarunt, exemplisque illustrarunt: HERTIVS, T. I Opusc. in *Dissert. de Lytro*, sect. I, §. 6, 7, et seqq. et THOMASIVS, in *Iurisprud. diuin. L. I. c. II.*, §. 103.

#### P R O B A T V R :

I, Quia, si detur *Ius gentium* ab hominibus constitutum, quo omnes quidem gentes in uniuersum obligentur; id debuisse uel a summo quodam imperante profici sci, qui omnibus gentibus imperaret, uel libero gentium consensu certisque pactis constitui. Atqui non datur in his terris communis imperans, qui omnes gentes imperio regat, iisque peculiare *ius praescribat*; dum gentes liberae in statu naturali constitutas inter se pares sunt, neque inter homines superiorem alium extra se agnoscunt, cuius imperio sint subiectae. Adhaec neque pactum quoddam uniuersale, de iure certo, quo omnes gentes in perpetuum obstringerentur, unquam est initum. Qua de re eximius locus extat apud XENOPHONTEM, Lib. IIII memorab. Socrat. p. 637: ibi enim Socrates et Hippias

pias sic colloquuntur: *An uero, mi Hippia, quasdam non scriptas leges esse nosti? Eas, ait, quae ubiuis locorum eodem modo obseruantur. Haec dicere potes, ait, ab hominibus esse conditas? Quomodo possim, inquit? cum homines uniuersi conuenire non possunt, nec eodem sermone tractantur. Quosnam igitur, ait, leges has condidisse arbitraris?* Evidem, ait, *has leges hominibus a DEO ferri existimo; et cetera.* Specialibus autem paucarum gentium pactis non omnes obligantur. Et haec ipsa pacta proprie non sunt leges; neque per se, sed sola uia legis naturalis, pacientes obligant.

**II.** Quia nullae leges a iure naturae diuersae ostendi possunt, quibus reuera omnes gentes obstringantur.

**III.** Quia alia exempla, quae praeter ea, quorum rationes ex principiis Iuris naturae euidenter deduci possunt, uulgo ad Ius gentium solent referri, nullam ueram uim obligandi ex se habent, adeoque nec ius proprie dictum constituant; dum uel ad *ius civile plurium gentium* pertinent, quod, docente ipso GROTI, Lib. II de I. B. et P. cap. 3, §. 5, et Proleg. §. 53, ex aliorum imitatione, aut fortuito, receptum est, adeoque pro arbitrio gentium tolli potest; uel spectant ad *mores et consuetudines*, quae non, uti in ciuili statu, sic inter gentes liberas, ubi haud communis imperans est, per se in ius proprie dictum evalescunt, et a quibus recedere, repugnat quidem aliquando decoro, non uero Iuri naturae; uel denique referuntur ad *pacta specialia*, de quibus modo dixi.

**CONSENTIUNT:** HOBESIVS, de Cise, cap. xiii, qui diuinit legem naturalem in naturalem hominum, et naturalem ciuitatum, sive societatum: utriusque praecepta eadem esse dixit; sed quia ciuitates institutae induant proprietates personales, leges naturales, applicatas totis ciuitatibus, ait dici *Ius Gentium*. POTTO PYENDORFIVS, de Iure Nat. Lib. II, cap. III, §. 22, THOMASIVS, in *Iurispr. diuin. Lib. I, cap. 2, §. 104, seqq.* SCHARROCKIVS, de officiis secundum *Ius naturae*, cap. x BOECLERVS, ad Grotium, Lib. I, cap. I, §. 14. MERTIVE, in *Dissert. de Lycre*, sect. I, pluresque alii.

**DISSENTIUNT:** GROTI, de Iure B. et P. Lib. I, cap. I, §. 14, et variis commentatores, qui cum tuentur. SELDENVS, Lib. VI, cap. XI. MEVIVS, in Nucleo I. N et G. *Inspectione V. RACHETIVE*, in *Dissert. de Iure Gentium*, BECMANNVS, in *Meditationibus politicis*, cap. 2. DR. VVAGNER, in *Iuris Nat. et Gent. Libro Elementario*, Part. II, cap. I; cui *Ius gentium* dicitur *lex hypothetica, naturali analoga, homines obligans, quatenus domini, uel non domini sint*. GROENINGIVS, in *Bibliotheca Iuris Gentium*; itemque multi alii, qui libros de *Iure Gentium* ex instituto ediderunt; quos citatos uidere licet a syndo, in *biblio* *Iuris Nat. §. L.*

## PROBLEMA V.

**S**O CIALITER VIVENDVM ESSE, uerum quidem, at non sufficiens et *adaequatum*, Iuris naturae principium est.

E K Θ E S I Σ.

OBSERV. I. Postquam de finibus Iuris naturae regundis, certoque cognoscendarum legum naturalium principio certatim agi coepit; non pauci *studium et custodiam socialitatis* amplexi sunt, et hinc, uelut ex genuino et uniuersali principio, omnia Iuris naturae praecepta deducenda existimatunt, nihil, nisi quod hinc probari possit, ad Ius naturae referri debere opinati. Tribuitur haec sententia iam ueteribus STOICIS, item ex Patribus ecclesiasticis, AVGUSTINO et AMBROSIO; sed bene monuit DN. GRIBNERVS, loco paullo post citando, licet facile concedendum sit, istos socialitatis studium commendasse et sedulo uruisse; non posse tamen probari, eosdem hanc ipsam socialitatem pro unico Iuris naturae principio habuisse. Quod itidem de CICERONE etiam sentiendum est. Quamuis enim hic in libris suis de *Legibus* et de *Officiis* socialitatis custodiam frequentissime inculcarit, neque poenitendas hinc elicuerit conclusiones; eum tamen neutquam ex sola socialitate omnes leges naturales deducendas existimasse, prae aliis uel ille locus *Lib. I de Legib. cap. V*, argumento esse potest, ubi de origine et fonte iuris uniuersi agens ostendit, uidendum esse, *quid sit homini tributum natura*, quantam uim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneric solendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos: his enim explicatis, inquit, FONS LEGVM ET IURIS inueniri potest. Sic idem, *Lib. V de Finibus: Intrandum est*, inquit, *in rerum naturam, et penitus, quid ea posse*

C

peru-

*peruidendum.* De sententia recentiorum quorundam infra dicemus.

OBSERV. IL Notio societatis sine explicatione potest esse ambigua. Cicero eam aliquando adeo dilatat, ut etiam ad conjunctionem hominum cum D E O referat. *Lib. I de Leg. cap. 7.* Vnde etiam HOCHSTETTERVS, in *Collegio Pufendorf. p. 160*, sic argumentatus est : *Quicquid prouochit socialitatem diuinam humanaamque ; id Iuris naturae praeceptum est.* Saepissime tantum de societate hominum dicitur. Sed et tunc sine definitione incertum, utrum societas uniuersi generis humani, an singularem ciuitatum, intelligenda? Taceo, alia esse, quae necessario ad tuendam societatem requirantur; alia, quae eam tantum commodiorem reddant; ut adeo socialitatis praecepto regulae iusti decorique naturalis miseri possint. Possunt tamen ita, praemissa explicatione et definitione, praemoneri. Ut plurimum praeceptum de colenda socialitate latius de totius humani generis societate accipitur; atque ita, quod quidam uiri docti iam recte monuerunt, nominatim PYFENDORFIVS, socialitatis nomine, *virtutem, ius, prudentiamque, complexus est.* Tunc uero socialitatis praeceptum latius quidem est, quam ut solas *regulas iuris stricti comprehendat*; at angustius omnino, quam ut omnes *virtutis et prudentiae regulas*, quarum etiam in societate usus esse possit, pariter perspicueque ex se suppeditet.

OBSERV. III. Si quis uero existimet, in Iure naturae non debere alia iura et officia explicari, nisi quae alios homines spectent; concedi quidem potest, hoc respectu plurima eius generis officia ad socialitatem posse referri. At enim uero tunc cauendum est, ne per quandam abusionem homines eo inducantur, ut opinentur, eiusmodi officia et iura non simul etiam ex aliis respectibus diuinae humanaeque naturae posse confirmari, aut nihil plane aliud per leges naturales ex lumine rationis inuestigandas hominibus uel praecepi, uel uetari, nisi quod ex socialitatis

tatis humanas consideratione possit cognosci. Certe plures omnino leges naturales, et plura per lumen rationis cum praecepta, tum uetita, possunt intelligi; etiamsi aliqui illarum ceterarum legum doctrinam non ad Ius naturae, sed ad alias disciplinas philosophicas, quoquaque nomine appellandas, referre uelint. Atque adeo, si quid iudicare possum, talia omnino ad abusum huius principii pertinent, qualia e. g. in DN. IAC. FRID. LVDOVICI *Delineatione historiae Iuris diuini* leguntur: *posito uidelicet semel et demonstrato, socialitatem esse principium uerum, evidens, et adaequatum, Iuris naturae; cordate exinde inferri posse, haec omnia, (nempe incestum, scortationem, et alia huius generis infanda mala, ) IVRE NATVRAE PERMISSA ESSE; quia socialitatem per se et directo non turbent; adeoque eorum prohibitionem solum ex iure diuino positivo repeti debere.* Etsi enim uel maxime ponamus, huiusmodi rerum turpitudinem non posse ex sola lege socialitatis cognosci, demonstrarique; non tamen existimandum est, nullas plane alias rationes, legesque naturales, etiam ex lumine naturae indagari posse, quibus foeditas illa cognoscatur? Qua de re alia occasione plura disseveremus.

#### PROBATVR:

I, Quia socialitas tantum unica est *affectio et qualitas* naturae humanae, quae quidem uera est, et multorum officiorum iuriumque cognoscendorum rationes suppeditat; ab ea uero uniuersum Ius naturae suspendere uelle, praeter rationem foret. Multo enim plura tum in diuina, tum in humana, aliarumque rerum creatarum natura, per lumen rationis animaduertuntur, quorum contemplatio non solum ipsam socialitatis legem magis explicat et confirmat; sed aliis quoque officiis, ad quae adeo a natura obligantur homines, comprobandis recte inservire potest. Sic et bene ait CICERO, *Lib. I de natura Deorum: Haud scio, an pietate*

C 2 aduer-

*aduersus Deum sublata, fides etiam et societas humanae generis et una excellensissima uirtus, iustitia, tollatur?*

II, Quia etiam extra societatem humanam homo ad bene recteque agendum obligatus est, et, sublata omni societate hominum, uirtutes et officia multa manent; quorum adeo ratio omnino aliunde, quam ex solius socialitatis consideratione, est repetenda. Sic, nulium dubium est, quin Adamus etiam legibus naturalibus ad certa officia fuerit obligatus, etiamsi nullos adhuc homines socios circa se haberet; et certum est, homines in solitudine uiuentes, et quibus omnis spes ad societatem redeundi ademta est, posse ex aliis etiam rationibus, et non ex solo respectu aliorum, colligere, quid agere, quidque omittere, debeat.

III, Quia, si socialitas esset unicum et ultimum fundamentum omnium officiorum nostrorum, quae ex lumine naturae praestare debemus; tunc sequeretur, amorem erga alios homines (qui per socialitatem praecipitur,) ordine inuerso, debere regulam et fundamentum esse amoris et officiorum, quae etiam Deo et nobis ipsis debemus.

IV, Quia, quamvis generatim ex socialitate quaedam utilitas quidamque nexus quorundam officiorum etiam DEO nobisque ipsis debitorum potest ostendi; ipse tamen modus et ratio illorum officiorum praestandorum non potest, nisi ex ulteriori contemplatione naturae diuinae humanaeque, demonstrari.

CONSENTIUNT: ERICVS MAVRITIVS, *de Principiis iuris publici Germanici*, cap. IIII, §. 32; IO. NICOL. HERTIVS, in *Disput. de socialitate, primo Iuris naturae principio*, Sect. II, §. 7, quae nunc in Tomo I eius opusculorum extat. DN. THOMASIVS, in *Fundamentis Iuris Naturae*, Lib. I, cap. VI, §. 19; SAM. COCCIVS, *de Principio Iuris Nat. P. I, Quaest. III. GOTL. GER. TITIVS*, obseru. 79 et 88 ad *Pufend. Libell. de O. H. et C.* DN. MICH.

HENR.

HENR. GRIBNERVS, *de Principiis Iurisprud. natur. Proleg. cap. IIII, s. XI.* ZENTGRAVIVS, in *Originibus I. N. controu. V*, et alii, qui Pufendorfum refutarunt, quamquam alii aliis principiis rationibusque induci.

DISSENTIUNT: PUFENDORFIVS, *Lib. I de Offic. H. et C. cap. III, s. 9 et 13*; item in *Praefatione ad maius opus de I. N. et G. et alibi passim*: quamquam idem, *Lib. II de I. N. cap. III, s. 13*, socialitatem eatenus pro principio *I. N. sufficiente et adequato* habere uideri uelit, quatenus non sit ullum praceptum Iuris naturae, *alios homines spectans*, cuius ratio non ultimo inde petatur. DN. THOMASIVS, in *Iurisprud. divina, Lib. I, cap. 6, p. 140, et seqq.* DN. IAC. FRID. LUDOVICI, in *delineatione historiae Iuris divini, A. 1701 edita, s. 72 et 103.* IMM. VVEBER, in *notis ad Pufend. de Off. H. et C. Lib. I, cap. III, s. 3.* et in *Dissertatione de Lege naturali.* IOACH. HENR. SIBRANDVS, in *Dissert. de princip. Iuris natur. HENR. LVD. VVERNHER*, in *Disput. de evidentiis ac certitudine demonstrat. moral. s. XI.*

## PROBLEMA VI.

**I**Vs naturae non probabiles tantum, sed et certas, tradit ueritates; adeoque omnino etiam admittit DEMONSTRATIONEM.

An Ius naturae etiam admittat demonstrationem?

E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Bene monuit Pufendorfus, non parum no quisce nobilissimis disciplinis moralibus, quod inolita dudum plerosque eruditos tenuerit opinio, eas non nisi, nisi lubrico ancipitique fundamento. Quapropter, quantum fieri potest, tollenda est dubitatio e tam praestanti necessariaque parte eruditio ni humanae: uindicanda magis magisque ei est sua certa auctoritas, demonstrandique ratio; et inuestigandae sunt certae ui-

C 3

uendi

uendi rationes, quas in rebus expetendis fugiendisque constanti animo sequamur. Et certe, si non tam facile est, nouas inuenire leges naturales, facilius tamen forte fieri potest, ut plures et euidentiores legum naturalium demonstrandarum comprobandarumque inueniantur rationes. Ex qua parte negandum non est, iurisprudentiam naturalem adhuc magis posse excoli. Sic, quamvis hae ipsae disquisitiones proxime comparatae sint ad exercitium Academicum, haud secus, ac ipsae disputationes theologicae, eaeque Academicae; non tamen dubitamus, quin DEO fauente fieri possit, ut, qui exoptatissimus huius instituti fructus erit, bonae mentes hinc etiam occasionem capiant eo diligentius rationes actionum suarum excutiendi, ut, quicquid agant, eo certiore ratione, eoque firmiore animo, agere assuerant.

OBSERV. II. *Demonstrare* autem nihil aliud est, quam rerum propositarum certam et necessariam ueritatem e certis principiis, tanquam e suis caussis, indubitate cognoscendam, secundum argumentandi leges, deducere. Cuiusmodi demonstratio non tantum aliquando fit *apieas* et *immediate*, ex principiis primis; sed saepius etiam *impieas* et *mediate*, per plura ratiocinia, ita tamen, ut omnium rationes absque interruptione inter se cohaerere et ad prima principia recte referri debeant.

OBSERV. III. Neque uero modus intelligendi comprobandique ueritates morales ubique est idem. Vti enim alias omnis ueritas uel certo uera est, de qua cum ratione dubitare non possumus; uel probabilis, cuius non adeo necessariae et euidentes rationes patent: ita et legum naturalium aliae certo uerae sunt; aliae uerisimiles. Quarundam eom legum naturalium euidentior apparet ratio necessitasque; quarundam adhuc saltrem uerisimilior. Sic, in Iure naturae stricte sic dicto, *ob regularum iusti simplicitatem et apertum nexum cum natura humana ad pacem et tranquillitatem diuinitus ordinata*, ut plurimum facilior clariorque haberi potest demonstratio. Ad euidentem

dentem regularum honesti comprobationem saepe diligentior inuestigatio, usque mentis exercitator requiritur: inprimis autem in politicis, ubi regulae prudentiae applicandae sunt ad actiones humanas, et si non semper, haud raro tamen, probabilitibus dyntaxat rationibus et coniecturis est indulgendum; quia id, quod licitum permisumque est (in quo genere actionum humanarum dirigendo maxime uersatur prudentia politica) quandoque omitti, quandoque fieri, magis expedit.

OBSERV. IIII. Praeterea multarum regularum moralium ueritatem facilius planiusque ipsis nos percipimus, ita, ut in iis cognoscendis mens nostra facile sine haesitatione acquiescat; quam aliis demonstrare ualemus. Huc fortasse referri possint eae ueritates et leges morales, quas nonnulli statuunt dicuntque *indemonstrabiles*, quae nimis singulari perceptione et interna quadam euidentia moralique criterio apprehendi dicuntur, neque amplius demonstrari possunt, aut certe non copiosa indigent demonstratione. Quam tamen controversiam in praefens non explicandam fuscipimus; sed id interea saltem monemus, sedulo cauendum esse, ne pro ueritate *indemonstrabili* quodvis *phantasma* et uisum arripiamus. Imo, quemadmodum ne ad mathematicas quidem demonstrationes facile capiendas omnium ingenia aequa sunt idonea; ita etiam in indagandis reddendisque rerum moralium rationibus alii aliis sunt feliores. Si qua uero remanet obscuritas, ea non tam in ipsa natura a DEO constituta certoque ordinata, quam in imbecillitate hominum conuiscientium, est quaerenda.

#### PROBATVR:

I, Quia haec doctrina non solum tractat *subjecti* loco actiones morales, de quibus certa *attributa* et *affectiones*, e. g. iustitia et injuria, demonstrantur; sed etiam uera et universalia tradit principia, quae per expositionem causarum, effectuum, et aliorum argumentandi fontium, tum uerisimilem,

similem , cum aliquando necessarium , cum conclusionibus  
nexum , habent.

**II,** Quia Ius naturae complectitur leges in ipsa natura rerum  
fundatas , et aliquando cum natura humana necessario et  
evidenter connexas , adeoque per suas caussas ita demon-  
strandas , ut , nisi ab eo , qui ratione sua abutatur , serio  
negari non possint.

**III,** Quia , licet in doctrina morali , non , uti in mathematicis ,  
numerorum notae , uariae figureae , lineae , radii , aliaque  
instrumenta , quae facilius in sensu incurruunt , adhiberi pos-  
sint ; ipsa tamen nomina et definitiones , quibus exprimun-  
tur res morales , veluti uice huiusmodi characterum in-  
strumentorumque funguntur , ipsique demonstrationi in-  
seruiunt.

**CONSENTIVNT :** NICOL. HEMMINGIVS , in libello de lege  
naturae apodictica methodo concinnata , VVittembergae A. 1564  
edito ; PVENDORFIVS , de Iure naturae , Lib. I , cap. 2. CONRIN-  
GIVS , in Introduct. in Polit. Arist. itemque de prudentia civili ,  
cap. 8 ; RERTIVS , in Iurisprudentia uniuersali , Sect. I , §. 19.  
DN. GVNDLINGIVS , in Via ad ueritatem , P. II , p. 8. DN. BVDEDEVS ,  
in Dissert. de Scepticismo morali , §. 12 et 16 ; ERH. VVEIGELIVS ,  
in Analyse Aristotelica ex Euclide restituta ; GEORG. PASCHIVS ,  
de variis modis moralia tradendi , cap. VI , §. 13 , p. 499 ; IO. PHI-  
LIPP. PALTHENIVS , in Dissert. de demonstratione morali , Gryphis-  
rvaldae habita.

**DISSENTIVNT :** non solum Pyrrhonici , Cyrenaici , ceteri-  
que , qui iusti iniustique rationes in natura fundatas olim nega-  
runt ; sed etiam alii , qui morales disciplinas demonstratione de-  
stitui putarunt : quibus praeiuisse censemur ARISTOTELES , Lib. I  
Ethic. ad Nicom. cap. 1 ; quamquam excusat a RACHELIO , in  
Examine probabilismi lesuitici , p. 33 , et a IO. BVRC. MAIO , Prof.  
Kilon. in disputatione : an Aristoteles doctrinae moralis demon-  
stratio-

*strationem statuerit in incerto?* Interim ARISTOTELICI plerumque denegarunt disciplinis moralibus demonstrationem; quos sequetus uidetur GROTIUS, de I. B. et P. Lib. II, cap. 23, §. 1. In primis vero notandus est recens auctor anonymous *Dubiorum iuris naturae ad Generosissimum Dominum \*\**; strenuus certe scepticus: cuius libellus *Duaci A. clocc xviii impressus* inscribitur.

### PROBLEMA VII.

**F**inis Iuris naturae in suo genere ultimus non solo huius uitae temporariaeque felicitatis ambitu continetur; sed intendit etiam, quaerendamque monet, aeternam felicitatem.

*An finis Iuris naturae etiam aeternam felicitatem intendat?*

#### E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Omnino operae pretium est, scire, quis uerus finis sit Iuris naturae. Finis enim certe primarium quoddam caput est in moderandis diiudicandisque actionibus moralibus. Et recte ait CICERO, Lib. I de Finibus, cap. 4, *nihil in vita tantopere quaerendum, quam quid sit finis, quid extremum, quid ultimum*; quo sint omnia bene uiuendi recte que faciendi consilia referenda; quid sequatur natura, ut summum ex rebus expetendis; quid fugiat, ut extreum malorum. Conf. CICERO, Lib. I de Off. cap. 2.

OBSERV. II. Quemadmodum alias unius rei plures esse possunt fines; ita facile admittimus, plures etiam dari legum naturalium fines. Sic proximus finis omnium legum naturalium est, ut hinc hominum uita existat naturae conueniens, h. c. pro uario respectu, *pia, iusta, honesta, prudens*. Sed et remotorius finis legum naturalium varius est. Etenim *regularum iusti et decori* finis *aus eos*, siue *immediatus*, est pax et tranquillitas externa commoditasque huius uitae; quia tanta DEI bonitas est,

D

ut

ut uelit homines etiam externe feliciter uiuere. *Regularum pii & honesti finis dūtōs*, siue *immediatus*, est tranquillitas interna mentis nostrae et laeta conscientia. Neutrius tamen generis regularum finis adeo ab altero est sejunctus, ut non *q̄ēs* aliquam ac *relationem* ad se inuicem habeant: adeo pulchro nexus inter se cohaerent leges naturales, earumque fines. Etenim, quamuis tunc, cum secundum *regularis iuris* neminem laedimus, fidemque datam seruamus; aut secundum *regularis prudentiae politicae*, nullius iure uiolato, commodis fortunisque nostris consulimus; id maxime, et *dūtōs*, affequamur, ut, quantum in nobis est, pacate cum aliis, commodeque, uiuamus; non tamen tunc interna tranquillitas mentis nostrae hinc prorsus est excludenda: quoniam certe et ille tranquillam sibi mentem laetamque conscientiam promittere nequit, qui, uiolatis iustitiae regulis, temere laedit alios, neque fidem datam tuetur. Non secus et illa ipsa interna mentis tranquillitas, quae *regularis pietatis et honestatis dūtōs* intenditur, non excludit externam pacem et tranquillitatem; quoniam etiam ad hanc colendam prouehendamque ii omnium sunt aptissimi, qui uera pietate ueraque honestate sunt instructi. Imo, harum denique omnium regularum finis in suo genere ultimus eatenus certe dici haberique debet perennis et aeterna felicitas; quatenus huius nemo certus esse potest, qui sciens prudensque leges naturales uiolat, DEIque uoluntati aduersatur. Etiamsi uero id etiam ponamus, nos per solum lumen naturae non posse, nisi probabilibus quibusdam argumentis coniecturisque, affequi statum futurae felicitatis, aut immortalitatem animae nostrae; tamen etiam ex ipsis huius generis rationibus cognosci et magis indagari potest aliqua felicitas; et ad hunc finem animaduertendum sufficit etiam qualiscunque generalis cognitionis status aeternae felicitatis. Tandem, quomodo et communis ille simpliciterque ultimus finis, nempe gloria et honor DEI, tanquam auctoris naturae legumque naturalium, in omni genere harum legum attendi debeat, facile apparent.

OBSERV.

OBSERV. III. Poteſt uero ad hoc Problema rectius intellegendum etiam illa distinctio notari, quam alia fere occasione attulit, in *Difſert. prooem. Iurispr. diu. §. 49*, DN. THOMASIVS. Notamus, inquit, phrasin, quod DEVS intendat in lege finem aliquem, dupliciter dicit: primo, ut sermo fit de eiusmodi intentione, quae simul legem, ut medium finis consequendi suppeditat; deinde, ut intelligatur de intentione tali, quae ita finem respicit, ut lex ipsa medium ipsum non suppeditet, sed saltē ad ipsum medium nos ducat. Posterior notio nunc maxime locum habet, ubi de fine legum naturalium in suo genere ultimo differimus.

PROBATVR:

- I, Quia, si huius faltem uitae felicitas uniuerso iure naturae intenderetur, magna pars pulcherrimorum officiorum intercideret, et ea fruſtra atque absque ratione inculcarentur. Non enim appareret, recte censente LEIBNIZIO, loco paullo post citando, cur aliquis, quia non alia meliora sperare possit, sua ipsius felicitate temporali superhabita, pro charitatibus, pro patria, pro republica, pro recto et iusto, discrimen fortunarum, dignitatum, uitaeque ipsius, subire debeat, si is quidem, euersis aliorum rebus, ipſe ſibi consulere, et in honore atque opulentia uitam agere, queat.
- II, Quia ne quidem felicitas et tranquillitas externa generis humani absque hoc primario fine ſatis obtineretur: cum nulla potentia aut prudentia humana ſatis ualeret homines continere in obſequio, ſi poenae aeternae metus & ſpes mortalis uitae penitus ceſſaret.
- III, Quia ipſe Apostolus Paullus, Act. XVII, 27, luminis naturalis finem ulterius, quam ad huius uitae felicitatem, extendit, dum docet, non ideo tantum DEVM per naturam ſeſe ſuasque leges patefecisse, ut homines in huius uitae felicitate acquiescant; ſed, ut etiam DEVM, ipsum ſummum bonum, maioris felicitatis cauſa quaerant.

D 2

III, De-

III, Denique, quia absque hoc fine *usus paedagogicus* legum naturalium nullus foret, quem eis tamen ipsa scriptura sacra tribuit: neque is uim suam posset exerere, si naturalis religio, quae insignem partem legum naturalium complectitur, nihil aliud respiceret, quam praesentis uitae tranquilitatem. Quod si enim leges naturales in illa ipsa huius uitae felicitate nos unice subsistere iuberent; quomodo instigarent hominem ad quaerendum DEVM, tanquam summum idque aeternum bonum?

**CONSENTIVNT:** b. STVRMIVS, in *Theosophia*, Cap. V, §. 7. LEIBNIZIVS, in *Epistola de libro Pufendorfii de Off. H. et C.* quae extat in DN. IVSTI CHR. BOEHMERI *Programm. Grot. et Pufend. disput. praemissis*; item, *Tom. I des Bücher-Saals*; DN. BVDDEVS, *Parte II Philos. pract. Cap. I, §. XI*, et in *Theolog. morali*, P. II, p. 478; item in *Dissert. de pietate philosophica*, §. XXXXVIII.

**DISSENTIVNT:** GVIL. GROTIUS, in *Enchiridio Principiorum Iuris naturae*, cap. III, §. 7. PVFENDORFIVS, in *Praef. Libri de Off. H. et C.* §. 8. HERTIVS, in *Dissert. de Iurisprudentia uniuersali*, Sect. I, §. 9. DN. THOMASIVS, in *Iurisprud. diuina*, Lib. I, cap. I, §. 163; IO. LAVR. FLEISCHER, in *Institut. I. N. et G.* p. 240, et plures: nisi eos ita uelimus interpretari, ut ipsos non tam de fine intentionis, quam de consecutione, sive effectu Iuris naturae, loqui dicamus.

### PROBLEMA VIII.

*An boni-  
nes religio-  
ne naturali,  
ceterarum-  
que legum  
naturalium  
obseruantia  
saluentur?*

**Q**Vamuis philosophia de legibus naturalibus utique ultimo respiciat etiam alteram uitam, perennemque felicitatem; in hoc tamen statu hominum eum finem consequi non ualet; adeoque religione naturali, ceterarumque legum natu-

*naturalium obseruantia, homines aeternam salutem non consequuntur.*

E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Evidem propositi Problematis controuersia melius luculentiusque ex theologia, quam philosophia, potest decidi; propterea, quod homines lumine reuelationis destituti facile uideri sibi possunt inuenire rationes saltem uerisimiles, quibus induci, immensam DEI bonitatem et misericordiam sibi ob ardens studium et obseruantiam legum diuinarum, earumque naturalium, quas unice cognouerant habuerantque, post hanc quoque uitam, praemia virtutis, maioremque felicitatem, non denegaturum, falso credant: interim tamen eam ipsam sententiam hoc loco etiam expediendam duximus, ne id, quod in hoc problemate posuimus, superioris problematis sententiae aduersari videatur. At omnis contradic̄tio facile tollitur, si animaduertamus, finem legum naturalium, de quo antea differuimus, posse distinctum esse ab earundem effectu euentuque, de quo nunc loquimur. Multarum rerum eximii sunt fines; qui etsi, ob alias causas et impedimenta, usum et effectum actu ipso exerere nequeant; nihil minus tamen istis rebus sui fines a DEO dati ordinateque vindicari recteque argui possunt. Quam rem lueulenta similitudine illustrat D.N. IO. HENR. MULLER, in *Dissert. de finibus hominis et naturae, cap. I, §. VIII.* Vbi lapillus aliquis, inquit, rotis horologii interuenient, ipsarumque conuolitionem impedit, aut funiculus aliquis easdem implicatas teneat, usumque adeo et effectum ipsum siffrat; artificis finem non minus ualide agnoscimus; quam ubi ipso actu rotas circumuolui cernamus.

OBSERV. II. Dum uero tradimus, homines in hoc statu corrupto, non posse per legum naturalium cultum et obseruan-

D 3

tiam,

tiam, aeternam felicitatem consequi ; neutquam iis alios egregios usus effectusque, de quibus in *exposito* et probatione praecedentis Problematis non nihil inspersimus, denegamus. Imo, et haec ipsa *ultimi finis* consideratio in scientia legum naturalium non est superuacua. Ea enim, uti itidem ante innuimus, ad altius lumen quaerendum homines uelut manu dicit ; adeoque ex fine illo ultimo, ratione consecutionis et effectus, maxime adhuc superest *usus paedagogicus*, uti vocatur theologis. Deinde eiusdem ultimi finis consideratio egregie corroborat atque prouehit *finem secundarium*, nempe tranquillitatem et felicitatem huius uitae. Adhaec, et si uita legibus naturalibus conueniens non aliquid *ineptus*, sive *efficaciter*, conferat ad consequendam aeternam felicitatem ; confert tamen certo modo *separatus*, et per *remotionem quorundam impedimentorum* ; quoniam, qui temere peruerit uiolatque leges naturales, is ne quidem dignus idoneusque est, qui minoris gradus felicitate, quae ad hanc uitam pertinet, perfruatur ; tantum abest, ut summa aeternaque felicitatem sibi polliceri queat.

## PROBATOR:

- I, Quia sola ratio nescit ueram caussam miseriae humanae, nec nouit peccatum originis ; quomodo igitur illud expiare ualeat ?
- II, Quia sola ratio modum uerum et certum reconciliandi DEI nescit.
- III, Quia, si homines uita solis legibus naturalibus conueniente potuissent saluari et ad aeternam felicitatem peruenire ; aut, si DEVS uoluisset, uel, salua iustitia sua, potuisset, peccatoribus peccata remittere sine ualida satisfactione ; non opus fuisset, ut filium suum dilectissimum in carnem misisset, eumque tot subiecisset cruciatibus.
- IV, Quia non est in alio quoquam salus, nec aliud nomen, quam CHRISTI, sub coelo, quod datum inter homines, per

per quod oporteat nos seruari. Act. Apost. IIII, 12. Conf. I Tim. II, 15. I Ioh. II, 11, et V, 11, 12; I Tim. I, 15. Ioh. XVIII, 3.

**C O N S E N T I V N T**, praeter ceteros, IO. MVSAEVS, in *Dissert. de luminis naturalis et ei innixae Theologie naturalis insufficiencia ad salutem*; BVDDEVS, in *Dissert. inaug. de religione naturali*; quae extat in eius *Parergis Historico-theologicis*. GE. ALBERT. HAGENDORNIUS, in *Dissert. de Naturalismi spe specieque nulla, b. e. de philosophia in beando homine deficiente.*

**D I S S E N T I V N T**: non nulli ex Patribus ecclesiasticis, qui ante Pelagiana certamina securius loquentes tradiderunt, ante Christi aduentum Gentibus uerbo diuinitus reuelato destitutis philosophiam suffecisse; de quibus videatur MART. CHEMNITIUS, in *Exam. Concil. Trid. P. I de Oper. Infid. et Is. CASAVBONVS*, in *Exercit. I ad Baronis Annales*. E recentioribus eo nomine PVCCIVS, LVEDOVICVS VIVES, ERASMVS, ZVINGLIVS, et alii a b. GFR-HARDO, *Exeg. loc. II, s. 81*, aliisque, notantur. Inprimis uero hac est referendus PETRVS CHAVVINVS, in *Libro de religione naturali, Part. I, cap. VIII*; itemque EDOARDVS HERBERTVS DE CHERBVRY, *de religione Gentilium*, p. 198 et 210. Plures recenset IO. DICMANNVS, in *Dissert. de Naturalismo*, cum aliorum, zum maxime Bodini, *Kiloniae A. 1683 edita*, et altero post anno Lipsiae recusa.

### PROBLEMA VIII.

**I**VRIS NATVRAE, etiam stricte dicti, doctrina proprie pertinet ad philosophiam, et est insignis pars disciplinae moralis.

*An Ius naturae pertinet ad philosophiam?*

#### PROBATVR:

I, Quia non utitur, nisi principiis rationis, quae in philosophia indagantur, et explicantur; atque eo ipso nomine maxime differit

differt a theologia , quae , si philosophiam non immiscet ,  
praeceptiones sibi proprias tantum ex principio et lumine  
reuelationis deriuat ; itemque differt a iurisprudentia ciuili ,  
quae proprie iussa legislatoris in republica interpretatur.

**II,** Quia , sicuti tota philosophia moralis , recte monente MELANCHTHONE , reuera non est nisi explicatio legum naturalium ; ita et iurisprudentia naturalis , in qua eae maxime leges naturales ex solo lumine cognoscendae traduntur , quae ad pacem externam socialemque uitam necessario collendam pertinent , non potest non pars esse philosophiae moralis .

**CONSENTIVNT :** HERM. CONRINGIVS , in *Tract. de prudencia ciuili* , p. 97 , ubi inter alia ait : *Quid iuris sit naturalis uniuersi humani generis , definit Ethicus* . GEORG. CALIXTUS , in *apparatu theologico* , p. 27 . HENR. BÖECLER , in *Praef. Comment. ad Op. Grot.* pag. 29 , et seqq. IMMAN. VVEBER , *Aphor. II de habitu Iuris naturae ad disciplinam Christianorum* . ELIAS SILBERRADIVS , in *Miscellaneis moralibus Argentorati A. 1716 defensis* . Id quod nec dissimulauit ipse PVFENDORFIUS , in *dedicatione Libri de Off. H. et C.* ubi profitetur , se prima duntaxat moralis philosophiae rudimenta ex diffusiore opere excerpta in compendium misisse : quamquam et is , praeter necessitatem , non pauca ex iure ciuili in iurisprudentiam naturalem intulerit .

**DISSENTIVNT :** Auctor anonymous *dubiorum Iuris naturae* , cap. VIII , qui existimat , ius naturae a theologia morali distingui non posse ; ex alio respectu DN. THOMASIVS , in *Iurisprud. diuina* , Lib. I , cap. I , §. 170 , et Lib. I , cap. II , §. 136 , item in *dissert. prooemiali* , §. 50 , et alii , quamquam magis in *praxi* , quam *theoria* : licet ex historia Iuris naturae facile ostendi possit , cur acciderit , ut tam frequenter praeiudicia et scita aliarum disciplinarum in doctrinam iuris naturae irrepererint , et identidem alicui confusione , aut obscuritati , aut aliis ambagibus , data fuerit occasio .

## PROBLEMA X.

**L**eges naturales sunt proprie sic dictae leges.

E K Θ E S I S.

*An leges  
naturales  
sunt proprie  
dictae le-  
ges?*

OBSERV. I. Etsi hoc Problema ad λογομαχίαν referri posse uideatur; propterea; quod uerisimile sit, omnem hanc quaestionem in uaria uocabuli LEGIS notione recte explicanda uersari; ad illustrandam tamen confirmandamque ueritatem non parum interest, ut huius caussae certas rationes teneamus. Haud equidem imus inficias, uim et potestatem nominis LEGIS esse multiplicem; sed attendendum censemus, quam id ueram principemque habeat significationem in doctrina morum? Sunt, qui putent, *nullam dari legem proprie dictam, nisi humanam*: propterea, quod sibi persuasum habent, strictiore et magis propria notione LEGEM tantum notare *iussum superioris, obligans externe homines subditos ad utilitatem iubentis*; cum e contrario morales ueritates ex lumine naturae cognoscendas saltem *pro consiliis, paternisque monitis*, habeant. Vid. B. Ephr. Gerhardus, in *Delineatione Iuris natur.* Cap. IV, §. 44 et 66. Sed praeterquam, quod non in uniuersum uerum est, in omnibus legibus humanis unice propriam legislatoris utilitatem respici; cum id forte magis de tyrannorum, quam iuste et benigne imperantium, legibus dici queat: tantum certe abest, ut notio LEGIS, etiam ex vulgari usu, primario et proprie ad *tyrannica et despota* iusta restringi consueuerit, ut potius uel primum locum habeat in significandis sanctis iustisque, et iis cum diuinis, tum humanis, legibus. Taceo nunc, *legibus diuinis maxime quidem procurari felicitatem generis humani; nihilominus tamen, a sancta religione alienum non est, existimare, iisdem etiam ultimo respici ipsius*

E

DIVINI

DIVINI NOMINIS GLORIAM ; quamuis non alia proprie sic dicta DEI utilitas inde quaeratur ; cum ipse sibi sufficiens sit ac supreme **beatus**. Quapropter sapienter in hoc argumento philosophatus est Alcibiades, qui, ubi cum Pericle differeret de natura iustarum legum, iussa *tyrannica* et *despatica*, eaque ab omni ratione aliena, ne quidem *legum* nomine digna habuit. Ita uero apud Xenophontem, *Libr. I Memorab. Socrat.* p. m. § 67, quaerit Alcibiades ex Pericle : *Καὶ ἀνέγειρος χερσῶν τῆς πόλεως γερίψη τοῖς πολίταις, ἀ τὴν ποιεῖν, καὶ ταῦτα τόμος θεῖ; --- Εἰς δέ; καὶ αὐνοία τί ἐστιν, ὃ περιίδεις.* i. e. *Iam si tyrannus etiam ciuitate potitus, quae ciuibus agenda sunt, perscriperit; num et ea lex sunt? -- Quomodo autem? Imo illegalitas est, i. e. uis et legum euersio.*

OBSERV. II. Aliunt praeterea nonnulli, qui dissentunt, leges naturales esse ueritates morales, quae aeque possint cognosci, tanquam *geometricae* et aliae *theoreticae* ueritates, etiamsi auctor illarum uel ignoretur, uel non attendatur, adeoque neque tanquam iussa alicuius superioris respiciantur. Huc sigillatim refero ea, quae scripsit D. IO. G.E. WAGNER, *Jur. Nat. et Gent. Libro Elementario*, Halae edito, P. I., c. I., §. 18. Apparet, inquit, quo sensu obligatio naturalis lex dicatur, et quomodo illa absque superiore oriri possit; quod contra communem illam de termino pugnam assero. Quare, etiam nulla amplius urget necessitas, ut ad evincendam uim legis naturalis DEVS in partes uocetur : *cum demonstrationem afferre, et possibile, et magis decens sit.* At, sic concedimus quidem, posse quasdam uiuendi rationes etiam ab impiis hominibus, et ipsis *Atheis*, ex lumine naturae colligi, adeo, ut exempli causa, etiam tunc, cum non pro eo, ac debeant, simul respiciant naturae humanae conditorem, auctoremque legum naturalium, ratiocinando tamen facile videant, si quidem perpetuo indulgeant luxui, nec nisi fraudibus, uel uiolentia.

lentia, peruertant iura aliorum, aut omni temeritate effrenati, in rapinis, in caede, omnique flagitorum genere, uersentur, se non posse non in aliorum hominum odia incurrere, et multas grauesque huius uitae molestias atque calamitates sibi ipsis arcessere: uerum negamus, tales homines hoc modo tam uere pleneque cognoscere uim legum naturalium, quam plene ue-  
reque eae cognosci poterant, ac debebant. Tunc demum enim multo pleniore atque maiore cum pondere leges naturales permouere possunt animos hominum, si eas non ex solis commodis aut incommodis huius uitae, naturali ratione subsecuturis, sed etiam ex auctoritate et sanctissima voluntate summi Numinis, metiamur, ita, ut hinc metui miseriae naturalis, metus atque timor D E I iustissimi, iungatur, et uel hoc respectu praecipua uis obligandi flectendique animos ad obseruandas leges naturales existat. Quam in sententiam bene sa-  
pienterque differit Pufendorfius, *I. N. et G. Libr. II, cap. III,*  
*§. 20.* *Quanquam legum naturalium, inquit, utilitas per se longe sit manifestissima; illa tamen sola tam firmum ani-  
mis hominum inducere uinculum non ualebat, quin ab istis  
discedi posset, si cui utilitatem eam negligere allubesceret,  
aut alia se via utilitati suae magis consulere posse arbitrare-  
tur.* — — *Igitur omnino statuendum est, obligationem le-  
gis naturalis esse ab ipso DEO creatore, qui homines, creatu-  
ras suas, ad istam obseruandam pro imperio adstrinxit. Ac-  
que hoc ipsum etiam ex lumine rationis demonstrari potest.*

#### PROBATVR:

I, *Quia notio nominis LEGIS obligantis, strictius et ~~nar' iżo-~~  
~~xij'~~ sic dictae, qua dicitur esse decretum, siue iussum,  
quo imperans sibi subiectum obligat ad aliquid agendum,  
uel omittendum; utique etiam ad LEGES NATURALES  
accommadari potest. Neque enim haec duntaxat tan-*

E 2

quam

quam ueritates morales simpliciter tales possunt intel-  
ligi; sed praeterea etiam earundem auctor, DEVS, ex  
lumine naturae potest cognosci , cuius iustum in homi-  
nes est IMPERIVM , h. e. qui iustam habet et in uero  
legislatore requisitam potestatem et auctoritatem homini-  
bus leges imponendi , et cuius imperio homines iustissi-  
ma ratione sunt subiecti; id quod paullo post probabimus.  
Adhaec, non solum existit *interna*, ut uocatur, legum  
naturalium *obligatio* , quae ex cognitione et conscientia  
subsecuturi mali uel boni naturalis subnascens , uolunta-  
tem humanam ad agendum omittendumue inclinat atque  
mouet: sed cum, DEO cognito, non possit non etiam  
cognosci eius iustitia , et potentia, quae metum iniicit  
mentibus humanis; itemque bonitas, quae spem excitat;  
hinc oritur et *obligatio externa*, quam affert spes boni  
et metus mali, quod quidem non sola ratione determina-  
tum scimus , at ab arbitrio Numinis supremi dependere,  
et naturali multo majus esse, neque ulla astutia humana  
eludi posse, intelligimus. Cum enim uideamus, etiam  
iis hominibus populisque male agentibus, qui alias leges  
diuinas, nisi naturales, non habuerunt, eiusmodi cala-  
mitates atque mala diuinitus accidisse , quae *solam natu-  
ralem connexionem cum actibus uitiosis non habuerunt* ;  
facile possumus intelligere , uiolatoribus legum natura-  
lium, non naturales tantum poenas, quae ratiocinando  
intelliguntur; sed arbitrarias etiam, et extraordinarias qui-  
dem, iustitiae tamen et sapientiae diuinae non contrarias,  
a DEO legislatore esse propositas. Id quod cum primis ex-  
emplo eorum Populorum intelligimus, quos DEVS ob-  
uiolatas leges suas naturales etiam poenae extraordinariae  
deuouerat , et Israelitis bello persequendos commiserat.  
Conf. Rom. I, v. 18 — 32. Iona, I, 7. Actor. XXIX, 4.

II, Quia

**II.** Quia leges naturales non solum bonitati, sed etiam iustitiae et potentiae, DEI immortalis, conuenire intelliguntur; adeoque nec pro consiliis tantum paternisque monitis, sed etiam pro iussis supremi rerum Domini, homines sibi subiectos obligantibus, haberi debent.

**III.** Quia, ut illustrandi argumenti causa id addamus, ipsi homines Pagani ualorem et uim praceptorum naturalium, tanquam uerarum legum, ad imperium DEI retulerunt. Praeter innumera alia scriptorum loca liceat hoc referre, quae Lactantius, *Lib. VI Diuinari. Institut. cap. 8*, ex Ciceronis *Libro III de Republica*, affert. *Est quidem,* inquit, *uera lex, recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna;* quae uocet ad officium iubendo; uerando a fraude deterreat: quae tamen neque probos frustra iubet, aut vetat; nec improbos iubendo aut uerando mouet. *Huic legi nec obrogari fas est;* neque derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari potest. *Nec uero, aut per senatum, aut per populum, solui hac lege possumus.* Neque est quaerendus explanator, aut interpres eius aliis. *Nec erit alia lex Romae; alia, Athenis; alia, nunc; alia, posthac; sed et omnes gentes, et omni tempore, una lex et sempiterna et immutabilis, continebit;* unusque erit communis quasi magister et imperator omnium, DEVS. Ille, legis huius inuentor, disceptator, lator; cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur; hoc ipso luet maximas poenas, etiam si cetera supplicia, quae putantur, effugerit. Quid ni afferamus et illum luculentum locum Xenophontis, ex *Libr. IV Memorab. Socrat.* ubi Socratem fecit cum Hippia de Auctore legum naturalium differentem? Α'γραΦες δε ινας οιδα, εΦη ο Σω-  
νεγίτης, ωιππίτης, νόμους; Ιεσγ' οι πάσοι, εΦη, χωρα κα-

τὰ πάντα νομίζομένας ἔχοις ἀν δὲ εἰπεῖν, ἐΦη, οὐ οἱ δ. Θρα-  
τοι αὐλαὶ ἐθεντο; καὶ τῶς ἄν; ἐΦη, οὕτως γέτε συνελθεῖν  
ἀπάντες ἀν δυνηθεῖν, γέτε ὅμοφωνοι εῖσι. Τίνας δὲ, ἐΦη,  
νομίζεις τεθεικάτα λας νόμους τύτχας; ἕγαν μὲν, ἐΦη, θεὸν  
δίμαν τας νόμους τύτχας τοῖς αὐθεωποις θεῖναι. Καὶ γὰρ  
πάρτι πᾶσιν αὐθεωποις πρώτους νομίζεται, τὸν θεὸν σεβεσσιν.  
κ. τ. λ. h. c. *An uero quasdam, inquit Socrates, leges*  
*non scriptas dari nosti, mi Hippia? Eas, ait, quae ubi-*  
*uis locorum eodem modo obseruantur. Hasne dicere po-*  
*tes, ait, ab hominibus esse conditas? Qui possim? inquit;*  
*quum homines uniuersi conuenire non possint, nec eodem*  
*sermone utantur. Quosnam igitur, ait, leges has con-*  
*didisse arbitraris? Evidem, ait, has leges hominibus a*  
*DEO ferri existimo: nam et apud homines uniuersos hoc*  
*primum lege receptum est: Deum esse colendum. Sed*  
*nihil opus est, ex profanis scriptoribus colligere testimo-*  
*nia; cum et ipsae literae diuiniores huiusmodi dictami-*  
*nibus rationis id nomen attribuant, quo etiam leges pro-*  
*prie stricteque sic dictas similiter designant. Vid. Epist.*  
*ad Rom. Cap. II, u. 14. & 15.*

CONSENTIVNT: RIC. CUMBERLAND, *de Legibus na-*  
*turae, Cap. I, §. XI, p. 21. PVFENDORFIVS, de I. N. et G.*  
*Libr. II, cap. III, §. 20. GISB. COCQVIVS, in *Anatomie**

*Hobbesianismi*, p. 384. D. N. GVNDLINGIVS, *Part III Viae*  
*ad Veritatem, Cap. I, §. XXVI, seqq. DN. BVDDEVS, in *Theo-**

*logia moralis*, p. 499. DAV. MEVIVS, in *Nucleo Iuris N. et G.*  
*Inspect. II, §. XV et XX. ALB. RIPERVIS, in *Dissert. de Lege ac**

*legibus diuinis*, p. 102, seqq. Laudatur et D. N. PALTHENII,

Prof. Gryphisuualdensis, disputatio anno 1704 habita, de Quae-  
stione: *An leges naturae sint proprie dictae Leges?* quam ue-  
ro uidere necdum nobis contigit.

DISSEN-

DISSENTIVNT: HOBESIVS, *de Civie, Cap. III, art. 33.*  
 et in *Leviathan, Cap. XV et XVI.* DN. THOMASIVS, in *Fundamen-*  
*tis Iuris Nat. in Cap. Prooem: §. IX, seq. et Libr. I, cap.*  
*V, §. 34. Conf. et Observat. select. Halens. T. VI, Observa-*  
*XXVII, de Natura legis tam diuinae, quam humanae.* D. FLEI-  
*SCHER, in *Institutionibus I. N. et G. p. 136, seqq.* D. IO. GE.*  
*VVAGNER, loco ante citato.*

### PROBLEMA XI.

**D**atur, et ex lumine naturae cognosci po-  
 test, uerum DEI IN HOMINES IMPERIVM.

E K Θ E Σ I Σ.

An ex lu-  
 mine na-  
 turae co-  
 gnoscatur  
 uerum DEI  
 in homines  
 imperium?

Hoc Problema ad illud, quod proxime praecedit, magis il-  
 lustrandum confirmandumque pertinet. Ita uero summum DEI  
 imperium amore et bonitate paterna temperatum intelligi de-  
 bet, ut non solum suis sibi legibus homines ad agendum omitten-  
 dumque obligare; sed etiam, cum ex beneficio suo, tum ex  
 maleficio hominum, de illis statuere possit, quicquid bonitati  
 ac iustitiae suae non repugnat.

#### PROBATVR:

I, Generatim; quia in DEO omnia concurrere intelliguntur,  
 quae ad iusti imperii *ideam* requiruntur: nempe, 1. ma-  
 iestas et *superioritas* DEI iustissima; 2. subiectio homi-  
 num; propterea quod a DEO prorsus dependent; 3. leges  
 DEI, non solum indicantes, sed etiam praecipientes bo-  
 num, et uetantes malum; 4. aceedit et eius potentia re-  
 luctantes coereendi.

II, Speciatim; quia, quod alibi demonstratur, etiam ex lumine  
 naturae potest intelligi, DEVUM EXISTERE, et HOMINES A B  
 EODEM DEPENDERE. DEI enim natura ex lumine  
 naturae, quantum fieri potest, inuestigata cognitaque, item-  
 que.

que natura hominum diligentius considerata, non potest non liquere, nos a DEO et creatos esse, et conseruari. Iam autem aequissimum et prona consequentia certum est, ut illum, non solum tanquam Patrem, sed etiam tanquam Regem et Dominum, nobis recte imperare posse intelligamus, eiusque uoluntatem in uita sequamur; sine cuius nutu ac uoluntate nec sumus, nec uiuimus, nec mouemur; in primis, cum idem, nisi iusta, et sancta, et nobis salutaria, non postulet. Quamquam uero omnia, quae cognosci possunt de DEO, et quae ab eo in homines proficiuntur, nos permouere debent ad subiectionem et obedientiam DEO praestandam: proximum tamen et natura euidentissimum Imperii diuini in homines fundatum est *creatio et conseruatio*; cui argumento cetera DEI attributa atque opera non opponuntur, sed cum eodem, suo ordine, coniunguntur. Sic et a potentia DEI non exiguum pondus accedit obligationi humanae, ubi homines reliquis caussis iustis, quibus ad reuerentiam Numinis et ad obsequium induci debebant, haud locum relinquerent. Qui igitur fundamentum imperii diuini in homines ex naturali ratione cognoscere potest; is eo ipso cognoscere etiam potest, DEVm esse imperantem, et legum daturam, et iudicem; seque imperio diuino esse subiectum. Imo neque ignorantia ulla, neque malitia, homines impios potest eximere imperio diuino; cum nolentes uolentes a DEO dependeant; quia aequae, ac ceteri, a DEO creati sunt, et conseruantur. His uero consideratis, ex sola naturali contemplatione nobis multo prius et facilius, DEI, tanquam Regis huius uniuersi, et Domini, iustissimi tamen atque sapientissimi, quam tanquam Patris, *idea* occurret; cum uerior et luculentior paternae eius bonitatis cognitio deum ex peculiari patefactione nobis innotescat.

III, Quia

III, Quia ipsae diuiniores literae hoc naturale DEI imperium inculcant. u. gr. *Psalm. CIII, 19.* i *Chron. XXIX, 12.* *Jerem. X, 7.*

**CONSENTIVNT:** COCOQVIS, in *Anatome Hobbesianismi, cap. X.* IO. GE. PRITIVS, in *Disput. de Iure DEI in Atheos.* IO. FRANC. BVDDEVS, in *Instit. Theol. mor. P. II, Cap. II,* s. 8. et 9., et in *Disput. de Principe legibus humanis, sed non diuinis, soluto.* HOCHSTETTERVS, in *Colleg. Pufendorf. Exercit. III,* s. 6. et 7. RIPERVIS, in *Dissert. de Lege et Legibus diuinis, P. II, Cap. II.*

**DISSENTIVNT:** CVPERVS, in *Arcanis Atheismi reuelatis, Lib. I, cap. IV, p. 48;* qui concedit SPINOSAE, *DEV M non posse lumine naturali concipi uelut legislatorem, aut principem, leges hominibus imponentem.* HOBESIVS, de *Ciue cap. XV, s. II,* et in *Leuiath. cap. XXXI;* qui quidem generatim admittere uidetur *imperium diuinum*, sed a quo *Atheos et Epicureos ex-emtos esse putat.* In *regno DEI, inquit, pro subditis habemus, non corpora inanimata, neque irrationalia, licet potentiae diuinae subiiciantur;* quia *praecepta et minas DEI non intelligunt: neque etiam Atheos;* quia *DEV M esse non credunt: neque eos, qui DEV M esse credentes, cum tamen inferiora haec regere, non credunt.* D. IO. LAVR. FLEISCHER, in *Institutus. Iuris N. et G. Lib. I, c. V, s. 55.* Rationem, inquit, sibi relictam si intueamur, ignorat illa conceptum *DEI, tanquam Regis ac Domini.* --- Non potest *DEV M aliter quam ut Patrem, et omnia praecepta moralia, ut monita paterna, internam obligationem producentia, uenerari.* Quae unde repetita sint, facile patet.

### PROBLEMA III.

**D**Antur etiam leges naturae permittentes; *An dentur leges naturales permittentes;* unde IVRA deducenda.

E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Nullum Problema frequentius uideas ad *λογικας επουαξιας*?

F

*λογικας επουαξιας*?

*youaxias* referri, quam hoc, quod modo proposuimus. Nec diffitemur, notionem uariam uocabuli LEGIS non parum momenti afferre ad quaestionem hanc explicandam. Interim tota res, nisi fallor, in eo uersatur, ut primo intelligamus, quae nam uera sit origo et cauſa iurium nostrorum; deinde, an tales cauſae cognitae etiam possint LEGES appellari? Etenim, annotante illustri THOMASIO, in *Iurisprud. Diu. Lib. I, cap. I, §. 84.* in exponendo IVRIS fonte Doctores uel silent, uel mire uariant. Alii, *naturam*; alii, *legem*; alii, *dominium*; *consensum* alii, ius producere, affirmant. Vbi uero ego distinguendum puto inter cauſas iuris proximas, remotas, et ultimam. Quemadmodum enim tot aliarum rerum, ita et iuris, saepe plures cauſae existere possunt. Interim omne ius, si moralem aestimationem spectemus, ultimo a lege, i. e. a uoluntate legislatoris, repetendum censeo. Per ius autem, quod ex *legibus permittentibus* existere dixi, intelligo facultatem licite recteque aliquid agendi, omittendi, habendi, disponendi, et ab aliis exigendi: quale ius, pro diuersa rerum obiectatum ratione, speciatim uocatur: *libertas moralis*, *imperium*, *dominium*, *seruitus*, et sic porro. Non uero parum faceret ad magis magisque perficiendam doctrinam Iuris Naturae, si in quoquis eius capite seorsum et distincte ponerentur et explicarentur tum *Leges obligantes*, et inde fluentia OFFICIA; tum *Leges permittentes*; et inde di manantia IVRA: utpote quae a multis nimium adhuc permiscentur, aut certe non ex satis propriis fontibus suo ordine deducuntur.

OBSERV. II. Quod ad uocabulum LEGIS attinet; concedo quidem, id ex crebriore usu strictius dici de *lege obligante*, quae iubendo et prohibendo quasi restringit uoluntatem nostram; sed tamen falsum puto, id unice hac strictiore notione accipi, et quasi a *ligando*, i. e. *obligando*, dici: cum etiam latius accipiatur, et, teste Cicerone, *Lib I. de Legibus*, quasi a *legendo*

legendo commode possit deriuari. Quapropter iam Modestinus, uetus Iuris consultus, L. 7. Dig. de LL. LEGIS uirtus, inquit, *haec est, imperare, uicare, PERMITTERE, punire.* Imo et ipse Cicero, Lib. II de inuent. c. 49: *Considerandum, inquit, utra LEX iubeat aliquid: utra PERMITTAT. nam id, quod imperatur, necessarium; illud, quod permittitur, uoluntarium est.* Vnde nullum facile corpus Legum diuinarum humanarumque reperiemus, ubi non eodem nomine etiam illae constitutiones comprehendi soleant, quae et expresse aliquid permittant. Si quis uero nolit uoluntatem superioris, quae nobis aliquid concedat, *legem permittentem appellare;* cum eo litigandum non uidetur, dummodo concesserit, nullum uerum hominis ius morali aestimatione existere, cuius origo non ultimo repeti posset a uoluntate superioris.

OBSERV. III. Quod si uero iam admittantur *leges permittentes* aequae, atque *obligantes*, notanda est earum differentia pariter ac conuenientia. LEX OBLIGANS scilicet, quod iam supra diximus, *est decretum, quo imperans sibi subiectum obligat ad aliquid agendum, uel omittendum.* LEX PERMITTENS est *decretum, quo imperans sibi subiecto ius dat aliquid, licite et recte habendi, agendi, et ab aliis exigendi.* Conueniunt itaque inter se (1) *ratione auctoritatis:* utraeque enim ultimam uim suam habent ab auctoritate et uoluntate imperantis. (2) *ratione formae generalis:* utraeque disponunt de actionibus et omissionibus nostris, earumque certa norma esse debent. Differunt autem in primis *ratione effectus.* Legis obligantis proximus et directus effectus est *obligatio*, quae obstrin git et permouet homines ad aliquid agendum, uel omittendum; eius uero *indirectus effectus* est *concessio iuris, respectu aliorum.* Legis permittentis *effectus proximus et directus est ius, siue facultas moralis aliquid agendi, uel omittendi; eius effectus indirectus est obligatio in aliis, ne ius nostrum turbent;*

alias enim frustra nobis esset concessum. Praeterea etiam differunt ratione *objectionis*; quia leges naturae obligantes uersantur in actionibus *necessariis*, h. e. faciendis et omittendis; contra, leges naturae permittentes uersantur in actionibus uoluntariis et *indifferentibus*. Denique et ratione *finis* differunt. Leges enim permittentes constituuntur, ut intelligamus, quid secure, *saluaque conscientia*, agere possimus: leges autem obligantes dantur, ut non solum sciamus, quid recte secureque agere possimus; sed etiam, quid agere debeamus.

PROBATOR:

I, Quia dantur rationes, etiam ex lumine naturae colligendae, ex quibus constet, nobis aliquid licitum, et ex uoluntate DEI, tanquam auctoris legum naturalium, permisum esse. Ita, e. g. rationes inuestigamus, cognoscimusque, cur non solum iuste, respectu aliorum hominum, sed etiam conuenienter uoluntati diuinae, possimus aliquid in singulari dominio habere; cur liceat ciuitates, earumque uarias formas, constituere; cur fas sit, carne animalium brutorum uesci, et quae sunt cetera huius generis exempla. Iam uero, si *leges naturales* generaliter non sunt, nisi rationes de iusto et iniusto, ex contemplatione naturae diuinae et humanae, aliarumque rerum creatarum, petitae; non video, quare nec eas rationes ad *leges naturales*, easque *sigillatim permittentes*, referre debeamus, quibus cognosci probarique potest, aliquid non esse iniustum, sed nobis diuinitus permisum?

II, Quia, quam uerum fundamentum omnis *obligatio efficiax* habere debet in uoluntate obligante imperantis; tam uerum fundamentum in eiusdem uoluntate concedente *ius quoque* habere debet: si quidem uelimus non solum tranquille cum aliis uiuere; sed etiam secure, et efficaciter, bonaque conscientia, aliquid agere, habere, et ab aliis

aliis postulare. Eadem uero uoluntas superioris, quae ualide nos obligare potest ad aliquid agendum, uel omitendum; nobis quoque potest ualide libertatem et ius concedere. Cuiusmodi uoluntatem legislatoris, quae nobis *directe* ius tribuit, et *indirecte* alios obligat, ne istud ius nostrum turbent, cur non *legem permittentem* appellare liceat, et car non adeo *leges permittentes* sint admittendae, non video: cum uoluntas superioris permittens in latitudine sua aequa pertineat ad normam actionum nostrarum, ac eiusdem uoluntas obligans; et cum iam ueteres uocem *Legis* etiam ad *concessionem imperantis* retulerint?

III. Quia, quicquid juris nos habere naturali ratione cognoscimus; id uel *directe* uenit a legibus permittentibus; uel *indirecte*, a legibus obligantibus. A legibus permittentibus per se et *directe* oritur ius, quatenus certae rationes et leges expresse nobis indulgent et tribuant facultatem aliquid agendi, habendi, aut ab aliis postulandi. A legibus autem obligantibus *indirecte* existit *ius*; dum leges hae jubent, ut alii nobis aliquod officium praestent; aut dum prohibent, ne iidem nos laedant; adeoque eo ipso nobis aliquod ius constituunt, quo tuto et efficaciter uti possimus. Sicut igitur omnis lex permittens *indirecte* complectitur legem obligantem alios, ne ius nobis concessionum turbent; ita et omnis lex obligans *indirecte* complectitur aliquam permittentem; haud secus, ac omnis lex praecipiens iam *indirecte* complectitur prohibentem.

CONSENTIVNT: TITIUS, ICtus, quondam Lipsiensis, in Observationibus ad Pufendorfium de Officio H. et C. Observ. 50 et seqq. BARBEYRACIVS, in notis ad Pufendorfi Ius N. et G. Lib. I, c. VI, §. 3 et 15. VLRIC. HVBERVS,

RVS, de *Iure Ciuitatis*, Lib. III, cap. I, §. 27 et seqq.  
 HOCHSTETTERVS, in *Collegio Pufendorfiano*, p. 126. IO.  
 A FELDE, in *Elementis Iuris uniuersi*, P. I, p. 32.

DISSENTIVNT: HVGO GROTIUS, de *Iure B. et P.*  
*Libr. I, cap. I, §. 9.* GVIL. GROTIUS, in *Enchiridio de  
 Principiis Iuris nat.* Lib. I, cap. II, §. 10. PVFENDOR-  
 FIVS, de *Iure N. et G. Lib. I, cap. VI, §. 15.* Et Auctor  
*Germanicae Versionis* huius I. N. et G. ad h. l. Dn. THO-  
 MASIVS, in *Fundamentis I. N. Libr. I, cap. V, §§. 6 et 7.* Conf.  
*T. VI Obseru. Select. Halens. Obs. XXVII, §. 27.* Dn. GVND-  
 LINGIVS, P. III *Viae ad uerit.* cap. I, §. 43. Dn. BVD-  
 DEVS, in *Theol. mor. P. II, cap. I, §. VIII.* Dn. LEHMAN-  
 NVS, in *Annotationibus ad Pufendorf. de O. H. et C.* p. 83.  
 D. FLEISCHER, in *Instit. I. N. et G.* p. 127.

### PROBLEMA XIII.

An leges  
 naturales  
 fint immu-  
 tabiles?

L Eges naturales, eaeque obligantes, sunt  
 IMMUTABILES.

E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Pauci quidem hodie sunt, qui perennitatem  
 legum naturalium negent; at ii, qui eam admittunt, docent  
 que, ius naturae sic esse immutabile, ut ne a DEO quidem mutari,  
 et de eo dispensari possit, huius *immutabilitatis* et *in-  
 dispensabilitatis*, uti loquuntur, fundamenta diuersis modis  
 constituunt: quorum uarias sententias in primis recenset B.  
 IAEGERV, in *Obseruationibus ad Grotium de Iure B. et P.*  
 pag. 48. et seqq. quas tamen plerasque inter se conciliari posse  
 existimamus.

OBSERV. II. Consulto addidimus, *leges naturae obligan-  
 tes* non posse immutari; cum satis constet, non solum DEVU-  
 EA, quae naturali ratione permisso intelligebatur, ex sapien-  
 tissimo consilio, per leges uoluntarias et revelatas identidem,  
 uel

uel praecipiendo, uel uetando, ad *necessitatem obligationis euexisse*; sed etiam Legislatores humanos paribus modis eadem ad reipublicae felicitatem, uel iubendo, uel prohibendo, recte accommodare posse. Quam in sententiam uere dixit Vlpianus, *L. 6. in pr. D. de iust. et iur. ius ciuile esse, quod neque in totum a naturali uel gentium iure recedat, neque per omnia ei seruiat; sed, cum aliquid addamus, uel detrahamus iuri communi, ius proprium et ciuile effici.* Vid. Dn. Caroli Gothofr. VVinckleri Disputatio, de *Potestate legum ciuilium in ius naturae*, Lipsiae A. 1713 habita.

OBSERV. III. Leges uero naturales non ita nobis dicuntur *immutabiles*, quasi homines eas perpetuo seruent, nec ab iis unquam, uel agendo, uel praecipiendo, uel uetando, *de facto* recedant; sed quia aeternas et immutabiles rationes habent; quae non pendent a cerebro hominis unius, aut alterius; sed, quod postea repetemus, in ueritate diuina, sapientia, et iustitia, itemque in natura humani generis semel a DEO constituta, fundantur.

OBSERV. IV. In hac quaestione expedienda aliquando utiliter distinguere possumus inter mutationem rei obiectae, et inter mutationem ipsius legis naturalis: illa locum potest habere, quamvis haec fieri nequeat. Deinde quidam ad exempla quaedam diuinarum literarum explicanda etiam distingendum censem inter *dispensationem* et *tolerantiam*. Qua de re adire licet B. BAIERI Disputationem de *discrimine dispensationis, et tolerantiae*. Adhaec et Dn. THOMASIVS, in *Fundamentis I. N. Lib. I, cap. V, §. 47*, hanc obseruationem suggerit: *Interiu et in hac quaestione de immutabilitate legum naturalium uulgo miscetur ius naturae late et stricte dictum. Etsi enim ius naturae omne non mutetur, magis tamen universalia ac perpetua ex natura sua sunt praecepta iusti, quam honesti et decori: illa semper eadem sunt & haec aliquando uariant, aut certe limitationes admittunt.*

PRO-

## PROBATVR:

- I, Quia ex parte DEI istae leges fundantur in immutabili bonitate, sapientia, et iustitia DEI, adeo, ut, cum DEVs non possit aliquid uelle, quod sit contra sanctitatem et iustitiam suam, non etiam possit mutare leges istas naturales.
- II, Quia hae leges naturales, ex parte hominis, fundantur in ipsa natura humana, cumque ea arctissimum nexum habent. Cum enim DEVs produxerit naturam humanam, eamque rationalem; constituit simul uiuendi rationes huic naturae conuenientes: adeo, ut DEVs non possit uelle, ut e. g. homo uiuat rationi conuenienter in societate ordinata; et tamen tollat illas leges, quae rationi conueniunt, et ordinem constituunt in societate humana. Quamdiu igitur DEVs naturam humanam non mutat, (quam si mutauerit, homo non foret homo;) tamdiu ueritas necessariae actionum humanarum cum Iure naturae conuenientiae, aut discrepantiae, mutari non potest.

**CONSENTIVNT:** CICERO, *Libro III de Republ.* citante Laetatio, L.VI, c.8. GROTIUS de *Iure B. et P. Libr. I, cap. I, §. X.* PVFENDORFIVS, de *Iure N. et G. L. II, c. III, §. 5.* CONRINGIVS, in *Disput. philos. de Iure*, §. XLIII, seqq. THOMASIVS, in *Iurispr. Diuina, Lib. I, c. II, §. 98.* et seqq. et in *Fundamentis I.N. loco citato.* GE. BEYERVS, in *Delineatione Iuris Divini naturalis, cap. IX, §. 32,* seqq. OSIANDER, in *Obseru. ad Grotium de Iure B. et P. p. 180,* seqq. MEISNERVS, *Pbilos. Sibr. P. III, p. 549.* DVRRIVS, in *Disput. de Iure Naturae eiusque Dispensabilitate.* BVDDEVS, in *Theol. mor. P. II, c. II, §. 14.* HOCHSTETTERVS, in *Colleg. Pufend. Exercit. IV, §. 19,* seqq.

**DISSENTIVNT:** ARISTOTELES, *Ethicor. V, cap. 7.* OCCAM, in *2 Sent. Quaest. 19.* VASQVIVS, *Controversiarum illustrium Libr. I, cap. XXVII.* CVRCELLAEVS, *Oper. fol. 742.* DAV. MEVIVS, in *Nucleo Iuris N. et G. Inspect. II, §. XXXVIII, n. 3;* ubi tradit, esse quidem ius naturae immutabile, non tamen supra DEVm sic euectum, ut DEVs aliquando ex malo bonum efficere nequeat: qui dispensando possit indulgere, quae alias naturaliter improba, imo et iniungere, multo magis facere.

## PROBLEMA XIII.

**L**EGES FORENSES, populo Iudaico diuinitus datae, hodie neque legislatores rerum publicarum, neque ciues, amplius per se obligant; adeoque nec peccant magistratus christiani, si praeter aut etiam aliquando contra istas leges aliquid constituant.

An leges diuinæ fo-rentes Iudeorum adhuc obli-gent Chri-tianos?

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. I. Quemadmodum Deus sapientissimus, genitissimus humani amantissimus, in uniuersum prospexit aeternae hominum saluti; ita et tranquillitati atque temporariae felicitati societatis humanæ consulere uoluit. Vnde uaria legum diuinarum genera, ad felicitatem hominum prouehendam compara-ta, existunt. Ad quarum legum diuisionem explicandam uti nunc aggredi nolumus; ita hoc loco duntaxat de Legibus forenibus, Reipublicae Iudaicae a DEO quondam praescriptis, dispi-ciemus; an harum religione forte adhuc obstringantur ciues, ciuiumque moderatores? Eiusmodi autem *Lex forensis*, siue *iudicialis*, secundum b. Quenstaedii descriptionem, dicitur ordi-natio, quam DEVS per Mosen populo Israelicō praescripsit, continens praecepta de forma gubernationis politicae, in ciuitate societate usurpandæ, obligans Iudacos omnes usque ad aduen-tum Messiae; ut hac ratione externa disciplina conseruaretur, et politia Iudaica, in qua Christus nasciturus erat, a qua rumuis aliarum gentium politiis discerneretur.

OBSERV. II. Sicut in omnibus rebus publicis bene sapienterque constitutis deprehenduntur leges morales aeternae ueritatis, ciuibus institutis admistæ; ita et in forenibus Iudeorum legibus obserues licet naturalia atque moralia praecepta; quæ cum ad communem iustitiae et aequitatis rationem pertineant,

G

utique

ntique sunt perpetua, et ubique auctoritatem habent, certe habere debent. Quatenus autem continent constitutiones, singularem Iudaicae reipublicae statum spectantes; his per se Christiani aliquae populi haud devinciuntur. Nos uero loquimur de legibus Iudeorum forensibus stricte dictis, et Iudaicae reipublicae proprie accommodatis.

OBSERV. III. Evidem facile largimur, a DEO sapientissimo nihil, nisi quod uere bonum iustumque est, posse proficiat, adeoque et leges forenses Iudeis diuinitus latas omnium sapientissimas iustissimasque merito haberi; recte tamen docet ill. Gundlingius, in *Via ad ueritatem Iurisprudentiae naturalis*; Cap. I, f. 78, haud inde consequi, ut leges istae a Christians quoque pro norma necessario recipi debeant; cum sint sapientissimae comparate, respectu ad Iudaicam gentem habito.

OBSERV. IIII. Neque tamen forte sterilis, aut ad nullam partem utilis est illarum legum contemplatio. Etenim, quemadmodum generatim inde magis excitamus ad sapientiam et bonitatem DEI immortalis admirandam, pieque uenerandam; ita speciatim triplicem earundem legum usum exposuit Grotius, Lib. I de I. B. et P. cap. I, f. 16 et 17; quanquam non sine cautelis theologorum atque philosophorum legendus. Ex his uero praecipuis usus, is superest, ut hinc colligamus, quicquid iis legibus Ebraeorum, praecipiatur, id per se non aduersari Iuri naturae. Nam, cum Ius naturae, quod Grotius recte docet, sit perpetuum atque immutabile; non potuit a DEO, qui iniustus nunquam est, quicquam aduersus id ius praecipi. Interim, cum Imperantes etiam ab aliis populis aliquando utiles salutaresque leges quasi mutuari, et, pro re nata, ad suam rempublicam recte accommodare possint; quae tunc non propterea ualeant, quod in aliis rebus publicis uigent; sed quia ille, penes quos summa est potestas, eas libera uoluntate in terris suis fanciendas censuerunt: ita et his, qui imperium ac potestatem legum ferendarum inter Christianos obtineant, licitus est, ex Ebraeorum legibus forensibus, non nullas

nullas, quas quidem ratio conditioque publicae felicitatis utiliter admittit, in suam rempublicam libere transferre. Cuiusmodi autem leges tunc non amplius, tanquam leges forenses Iudeorum, vim ciuium obligandorum habent; sed haud secus, ac aliae leges ciuiles, reipublicae nostrae accommodatae, ex iure et uoluntate imperantis cuiusque, auctoritatem nascuntur.

PROBATVR ΘΕΣΙΣ:

- I. Quia nullo indicio potest deprehendi, D E V M uoluisse, ut, praeter Israelitas in republica diuinitus constituta uiuentes, alii etiam populi istis legibus necessario obstringantur.
- II. Quia hae leges forenses desiere, dissoluta Republica Iudaea, et gente ipsa per orbem terrarum dispersa; Christianis autem aliisque populis nunquam sunt latae: cum neque Christus, neque Apostoli, hominibus paganis, ad christianam religionem conuersis, legum istarum sequendarum necessitatem imposuerint; sed eos patriis autisque institutis ciuilibus, eorumque magistratum, in quorum potestate erant, legibus obnoxios reliquerint.
- III. Quia D E V S sapientissimus leges istas forenses sigillatim ad indolem ac conditionem Iudeorum, et ad statum a se prescriptum, ac peculiarem iudaicæ reipublicae utilitatem, attemperauerat. Iam autem, cum non sit eadem omnium populorum, terrarum, et uicinorum, temporum, aliarumque circumstantiarum, conditio, neque eadem instituta sine discrimine omnem deent rempublicam; utique prudenter magistratus est, in legibus ferendis, suorum populorum indolem ac conditionem, fuerumque rerum publicarum utilitatem, pree oculis habere, quae a statu et utilitate reipublicae Iudaicæ potest esse diuersa. Atque adeo Magistratus, in primis pro libertate christiana, sine criminе, et sine nota cuiusdam contentus, possunt istis Iudeorum legibus forensibus non uti, atque certas res et actiones uetare, quas illac permiserant. etc.

G. 2

Com-

CONSENTIVNT: HUGO GROTIUS, de Jure B. et P. Lib. I, c. I, §. 16. CASP. ZIEGLER, de Iuribus Mosaicis, L. I, c. V. th. 54, 55, 56. IO. ADAM OSIANDER, ad Grotium, p. 284, seqq. IO. ALTHVSIVS, in Polit. cap. XXII, §. 10; b. GE. RITTER, in Disput. XIII in Aug. Confess. THEOLOGI atque IURISCONSULTI passim.

DISSENTIVNT: I, qui usum legum forensium populi Iudaici redintegrandum statuant. De quibus Zepperus, in Praefat. Explanationis Legum Mosaicarum forensium, Lib. I, §. 11, p. 24: Alii, inquit, ex legibus Mosaicis Christianas respublicas constituendas, et res politicas iudicandas, adeoque ius Romanum, quo utimur, abolendum censem. In quorum albo insprimis CAROLSTADIUS et CASTELLIO, cum asselis et complicibus suis, numerandi sunt. — Qui quidem populum christianum ethnicorum legibus usuere debere. indignum, arbitrantur, adeoque usum diuinarum legum illarum in republica Christianis redintegrandum penitus statuant. II, qui leges istas maxime in poenis et criminalibus perpetuas et uniuersales esse, hodieque obligare, putant: u. g. IO. PISCATOR, in Commens. ad V. T. et sigillatum in Appendice Observat. ad Exodum; PHIL. ZEPPIRVS, in Collatione legum Mosaicarum forensium et Romanarum, Lib. I, Reg. VII; BEINH. BACHOVIVS, ad Trentulum, Vol. II, Disp. XXX, Th. III, his. G. Plures huius generis scriptores suppeditat V. Cl. Th. Crenius, P. XVI Animaduersionis Philol. p. 190.

## PROBLEMA XV.

An ius naturae cadat  
in bruta?

**I**US NATVRAE non cadit in animantia bruta; neque his hominibusque est commune.

### ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. L. Iam dudum haec quaestio cumprimis inter Iurisconsultos agitata est, postquam Ulpianus, leg. I, §. 3, Dig. de Inst. et Inst. hanc in sententiam scripsit: IUS NATVRALE est,

**est, quod natura OMNIA ANIMALIA DOCVIT.** Nam ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in terra, quae in mari, nascuntur; animal quoque communis est. Hinc descendit maris atque feminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus enim, cetera quoque animalia, feras etiam, istius iuris peritia censeri. Quae uerba si simpliciter spectemus, illis innuere vouluisse uidetur Iurisconsultus, ius naturae ita esse commune hominibus cum ceteris animantibus, ut bruta aequa, ac homines ratione praediti, quicquid ad sui generis propagationem faciat, ex quadam peritia et intelligentia iuris naturalis, adeoque ex naturae cognitione voluntatis diuinæ, agant. Et sane ultra eruditum iam dudum obseruarunt, etiūmodi opinionem exinde dimanasse, quia nonnulli philosophi docuerint, non solam dari μετριψυχωσιν, per quam homines et bruta animas habent similes, inuicemque commutent; sed etiam esse animalia huius mutuersi, quae in utroque isto genere communem quādam vim exerat. Quod documento luculenter intelligimus, protat in rerum naturalium doctrina fundamenta bene maleue fuerint posita, ita et morum praecepta, uelut consecaria quaedam, inde sequi.

**OBSERV. II.** Multi igitur, cum eiusmodi philosophorum φύσις admittere nollent, aut non possent; eam Iurisconsultorum sententiam, aut simpliciter reiiciendam duxerunt, aut variis modis emollire conati sunt; agnoveruntque, non posse nisi improprie et figurate dici, ius naturae omnibus animantibus esse communare. Non pauci autem profetti sunt, ipsos instinctus naturales, cum in hominibus, tum in bratis, iam ius naturae appellari, ita, ut quicquid secundum istos instinctus ad se conservandum, propagandumque genus suum, agant; iuri naturae conueniens esse uidetur. Cuiusmodi instinctus naturales iam auctores vocarunt *Fæcunditas Quæsiva, prima naturæ, et primæ coabitationes.* VId. Cicero, Libr. III de Finibus, v. 15.

*et Gellius, Lib. XVI Not. Attic. c. V.* Sed quam falso hi influctus naturales pro Iure naturae, eiusque demonstrandi principio, adeoque pro norma actionum, habeantur, iam aliunde constat.

OBSERV. III. Interest etiam ad hanc quaestionem expediendam, ut distinguamus inter *ius naturae* et *naturam*, item inter *ius naturae proprie* et *improprie* sic dictum; adhaec inter *materiam* et *formam iuris naturae*; nec minus inter *actus mere physicos*, et *morales*. Quac distinguendi rationes iam alibi explicatae reperiuntur.

OBSERV. IV. Equidem non ab remonet Dn. GRIBNERVS, in *Principiis Iurispr. nat. Proleg. cap. III, §. V.*, inutili uideri eorum solitudinem, qui disquirant, an *Ius naturale* cadat in *animalia bruta*? Cum enim nemini liceat perscrutari *naturam* et *interiores motus brutorum*; frustram disputationem, ait, esse omnem circa hanc quaestionem, eamque ex iis, quae ratio suppeditat, argumentis, nec negari, nec affirmari, posse. At enim uero, et si non ipsam interiorem animalium brutorum *naturam* introspicere queamus; de ea tamen, haud secus, ac de mente humana, secundum effectus quosdam *externos*, eosque haud obscuros, possumus *judicium ferre*. Adhaec, quamvis haec quaestio ab usu fori sit remota, nobisque non tam brutorum, quam hominum, iura curae esse debeant; habet tamen idem argumentum in doctrina morum sua momenta, neque et huius veritatis indagatio utilitate sua destituitur.

OBSERV. V. Alia quaestio est, an *Ius naturae hominibus* etiam certa praescribat officia, erga *animantia bruta* obseruanda? Quam quaestionem si de *Iure naturae laxius dicto*, et *virtutis praeccepta simul-complexo*, intelligas; affirmare nihil dubitamus. D B V S enim *ius* et *facultatem* non infinitam homini in *bruta*, ut alias res conditas, concessit; sed *restrictam certis modis*, ita, ut ex *virtutis praeccepto* his rebus non nisi tanquam *testimoniois diu-*

diuinæ maiestatis , et , quantum fieri potest , tanquam instrumen-  
tis nostræ aliorumque felicitatis , utamur . Quanquam vero non  
tam per se brutis rebusque inanimatis sumus obligati , quam pro-  
pter aliud , cuius interest , quicquid de rebus istis fiat ; hoc ta-  
men officiorum genus in morum doctrina non immerito pecu-  
liarem constituit classem ; cum neque ex solius diuinæ , neque  
ex solius humanae naturae , contemplatione , sed et *apud eum* ex  
ipsa brutorum conditione recte considerata , plenius deducere que-  
ant ; ut ne homines , uel ea nimis euhendo , et quasi D E O ipso  
sequando , uel iisdem ultra modum finemque abutendo , legibus  
naturalibus aduersentur . Verum hoc posterius argumentum iam  
nunc attigisse sat est .

#### PROBATORIIS :

- I. *Quia Iuris naturae , proprie sic dicti , leges non sunt genera-  
tim , nisi rationes de iusto et iniusto , quae mente perci-  
puntur , et ex contemplatione naturae diuinæ et humanae ,  
aliorumque rerum creatarum , petuntur . Quae rationes  
quomodo in animantia *alioya* conuenire possint , nobis sane  
non liquet .*
- II. *Quia soli naturales brutorum instinctus , quos nulla ratio  
et cognitio uoluntatis diuinæ moderatur , iuris naturalis  
nomine prorsus sunt indigni ; haud secus , ac motus natu-  
rales arborum , fruticum , aliorumque corporum natura-  
lium . Vnde nec homines quidem , qui sola naturae pro-  
pensione et instinctu edunt , bibunt , generant , et alia huius  
generis agunt , dici queunt legibus naturalibus in uniuers-  
sum conuenienter agere , nisi cum ratione et scientes pru-  
dentesque eadem uoluntati diuinæ conuenienter agant .*
- III. *Quia , si uel maxime ponas , ius quoddam naturae in bruta  
quaedam cadere ; id tamen *ius bestiale* , magis simulacri ,  
quam ipsius meri iuris , rationem habebit , neque proprie  
homini*

hominibus communē dici poterit : cum nullum hominē officium detur, cuius hominē contrarium plurima bruta faciant; idque non tam quasi de facto , et praeter ordinem suum; sed per ipsam indolem et instinctum naturalem , toti certo generi bestiarum proprium , ita , ut quaedam perpetua naturae suae propensione et impetu ad raptum et quasi latrociniis , ad libidines uagis , ad prolem suam perirendam , uel certe non educandam , et similia , ferantur : quas omnia ipsis bestiis fortasse dixeris naturalia , cum iuri naturae hominum per se aduersentur.

**CONSENTIVNT:** SELDENVS, *de Iure Nat. et Gent. Libr. I,* c. 4 et 5. CUMBERLAND, *de Legibus Naturae , cap. V , §. 2.* PVFENDORFIVS, *de Iure N. et G. Libr. II, cap. III, §. 2 et 3.* OSIANDER, *in Obseru. ad Grotium, p. 206.* BYDDEVS, *Angl. hist. philos. Exercit. III, §. 6.* VVESENBECCIVS, *Paratith. ad tit. Pand. de I et I.* BOECLERVS, *ad Grottum, P. I, p. 159.* MORNEIVS, *in Philos. morali , Libr. IV, cap. III, §. 21 , seqq.* KOEHRENSEE, *in Prudentia morali , P. III, cap. II, §. 32 , seqq.* KREBSIVS, *in Morum et Iuris Scientia uniuersali , Libr. III,* cap. 4, ubi agit de Principiorum moralium Subiecto. HENR. LVD. VYERNHER, *in Dissert. de Bruto exlege.*

**DISSENTIVNT:** HVGO DE ROY, *de eo, quod iustum est,* Libr. I, Tit. II, p. 8, seqq. BODINVS, *in Disp. de Iure mundi,* §. 3. MICH. FRID. LEDERER, *in Tractatione iurid. de iure bestiali , VVitembergae A. clo lcxiii edita.* IO. SCHILTE-RVS, *in Manuduct. Philos. mor. Cap. VI, §. 4.* Plures huius argumenti scriptores in utramque partem recensuit ERICVS MAVRICIVS, ICT. Tbingensis, *in Specimine Dissertationum de Iure Publico , Cap. IIII, Sect. I,* ipse inter eos , qui nobiscum consen-tiunt, referendus. Nos uero non alios citamus , nisi qui nobis sunt in promptu.

PRO-

**PR O B L E M A . X V I .**

**L E G E S C I V I L E S etiam obligant conscientiam ciuium.**

*An leges civiles denuntiant conscientiam ciuium?*

**O B S E R V . I .** Quaeſtio haec multorum exercit ingenia; quam alii negantur; alii affirmantur; alii non nisi multis limitibus circumscriptam decidorunt. Haud est dubium, quin, præter alias cauſas, iſte uirorum doctorum diſſensus, magnam partem ex obſcuriore loquendi formula natus sit; quam ante omnia explicandam cœlēſtus. Mihi uero nunc varia aliorum interpretatione, nobis hoc loco leges civiles ita obligare conscientiam ciuium dicuntur, ut homines ciuili imperio subiecti etiam naturali ratione intelligere possint, se ad levandas leges ciuiles, non ſolum metu ſanctionis forenſis, ſed etiam diuinæ voluntatis respectu atque amore, diuinæque poenae metu, permoueri debere, adeo; ut, quoties iſtas leges ſibi praefcriptas liblauetint, etiam interno conscientiae coaſtentia percipere queant; ſentiale cogito. De ique offensi poenam ſimilis promerquiss.

**O B S E R V . II .** Per leges ciuitates autem intelligimus eius generis meritis leges; quas imperantes de rebus alias in differentiis ciuibus suis praescribunt; cum de legibus diuinis, etiam ex extra statum ciuilem obligantibus; quae ciuibus ſaepius miferentur, nulla facile diſputatio exiſtat. Adhaec, non intelligimus leges ciuitates, niſi quae iusteſt; h. e. quae uoluntati diuinæ non repugnant; itemquid, quatum ferendarum ius legitima a magistratu habet. Leges enim ſummi Nominis uoluntati aduersae legum Nominis prorsus ſunt indignae; et fieri, cum imperantes non ubique abſolutam, ſed ſaepius partiſ et legibus fundamentalibus, ac capitulationibus, aliisque iuribus, circumscriptam legum ferendarum potestatem habeant; tunc enim, quibus ius est, eiusmodi leges, contra iſtas conditiones, uere licet doperigiri. Deniq̄ue ex die illa loquuntur legibus ciuitatibus,

libus, quas ipsi imperantes ab hominibus imperio suo subiectis seruo volunt seruari; et quae non consuetudine, ac tacito expressione imperantium consensu, iam obsoletarunt; utpote quae uix amplius uerarum legum numero haberi possunt. Hic uero attendenda sunt, quae hac de re commentatus est b. PETRVS MVSSEVS, in *Tract. de Lige ciuili*, Disp. II, f. 14. *Quemadmodum*, inquit, *DEVS ultra vires et naturalem causarum parsicularium*, quibuscum concurrit, *inclinationem uisibil agit*, nisi *absoluta sua et extraordinaria potentia uti uelit*: — — — *ad eundem modum etiam lex naturalis*, dum *ad firmandas legum ciuilium obligationem adhibetur*, *ultra Majestatis intentionem minime progrederisur*. *Quin potius, ad quam rem, quo modo, quo tempore, qua severitate, obligare Majestas intendit*; *imo, quascunque ad circumstantias, modo superiori legi non contraveniatur, neceffitatem non uiolandae legis a se farat adstringit*; *eo uoque lex naturalis ei obedientiam praestari exigit*. etc.

OBSERV. III. Ad hanc controverSIam expediendam, etiam operaе pretium est, distinguere inter regulas iuris stricte sic dicti; et inter regulas pietatis atque honestatis. Regulae iuris strictius, dicti potius externae pacis atque tranquillitatis rationem habent; secundum quas id officio ciuili defunctus esse, in foco humano, aestimatur, qui legibus ciuilibus extrinsecus obtemperaverit, etiam si haud constet, exploratumque sit, quo ille animo, bono an malo, id fecerit? At secundum regulas pietatis atque honestatis, quae maxime internam animi et conscientiae tranquillitatem, aeternaque felicitatem, respiciunt, præterea requiriuntur, ut quicquid agere debemus, dono animo, ex virtutis amore, in Deum honorem, in aliquem voluntati conuenienter agamus. Iam, quamuis sapientis et in primis christiani legislatoris sit, in legibus ferendis id uelle atque intendere, ut subiecti non solum per exterrnum obsequium eis congruenter uiuant, sed etiam, quantum fieri potest, per animi virtutem, officio suo defungantur; propterea, quod nulla res publica felicior esse queat, quam ubi ciuium

ciuium actiones non tam ex principio externo, s. e. poeniarum ciuilium metu, quam interna mentis *irragia*, ueraque animi religione, procedant: attamen, in his animorum latibus atque corruptelis, necesse habent imperantes, in foro quidem ciuili, in externis ciuium obsequiis acquiescere; cetera uero DEO, cordis ac conscientiae hominum scrutatori, eiusque iustitiae, relinquere.

P R O B A T I V R Θ E S I S :

- I. Quia Magistratus, quicquies potestatem legislatoriam, diuinatus sibi concessam, rite exercet, in uirtute DEI, et ex eius ordinatione, operatur; adeoque id ipsum habet, ut leges eius conscientiam ciuilem obligent.
- II. Quia, DEO, non solum per uoluntatem suam revelatam, sed et per Ius naturae, approbante, Republicae ad hominum felicitatem et tranquillitatem prouehendam constitutae sunt. Nam ergo manifestum est, DEVM etiam uelle, ut homines, in ciuitate uiuentes, ciuilibus legibus, sine quibus nullus Rerumpublicatum ordo, nullaque tranquillitas constare potest, libenti bonoque animo pareant.
- III. Quia iustae leges ciuiles individuali nexo cum lege naturali coniunguntur, eademque quasi muniuntur, quae iubet in republica *magistratus parere*. Leges enim humanae sunt ueluti causa obligationis proxima et secunda, quae nuditur lege naturali, tanquam causa prima et universalis. Hinc, quicquies leges ciuiles temere violantur; toties simul illa ipsa lex diuina violatur: atque adeo tunc intelligi potest, violatorem utriusque legis non solum poenali legibus ciuilibus sanctam, sed et DEI offendit uindictamque, merito suo extimescendam habere. Si qui uero putent, legata ciuilium considerationem ab ista legi naturali, quam ipsorum ueluti munimentum esse diximus, separandam esse; horum opinionem non immittereo ad exempla *abusionis abstractionis metaphysicae in doctrina morum*, de qua alibi ex instituto actum, referenda confessus.

III. Quia hanc sententiam ipsa comprobat auctoritas diuinorum literarum. u. g. I Petri cap. II, u. 13. ad Tit. cap. III, u. 1. ad Rom. cap. XIII, u. 1, 2, et imprimis u. 5, ubi Paullus: *Necessitatem habet, inquit, subiici non tantum propter iram, sed et conscientiam.* Quae uerba HENR. HENNI. GES., in Observat. ad Grotium, p. 145, sic satis apte illustrat: *Necessitatem habet subiici, i. e. parere, non tantum propter iram, s. o. metu magistratus et poenae; sed et propter conscientiam: quoniam inobedientia et seditio, ut sic dicam, interna contra connatam cuiusvis conscientiam est, quae iubet ordinis ciuitatis et ob supremum auctorem moderato remque, et ob communem propriamque utilitatem, tam extero obsequio, quam interna animi iuratio, obedire.*

**CONSENTIVNT:** OSIANDER, in Observat. ad Grotius, p. 319. DURRIUS, in Compend. Theol. moral. p. 343. ROBERT. SANDERSON, de Obligatione conscientiae, Praelect. V, ubi de legum humanarum obligatione agit. HELFR. VLRIC. HVNNIVS, in Tract. de Auctorit. et interpret. Iuris tam Canon. quam Civil. c. I. Quaest. 2. IO. ANDR. VANDER. MVELEN, Ia. Belga, in Foro conscientiae, in Dissert. praeclim. II, p. 36. CONR. HORNEIUS, in Philos. moral. Libr. IIII, Cap. IIII, §. 45. b. ROETENBECCIVS noster, in Philosophica enodatione Quaestionis: *utrum leges civiles in conscientia obligent?* Vbi, quamvis in utramque partem generatim disputari posse concedat, attamen, §. L, nostrae sententiae magis fauet.

**DISSENTIVNT:** FERNANDVS VASQUIVS, Controvers. illustr. Libr. I, c. XXIX, n. 1, 2, et 37. IO. AZORIVS, Institut. moral. Libr. V, cap. VI, ubi de uia et potestate legis humanas differit: qui, quamvis, p. 469, uideatur generatim admettere legem ciuilis a Principiis, vel Republica, sanctam, habere quis constringendis conscientiam suam, si eius violatio sit leseialis; tamen nequa nomine nobis videtur inter negantes, referendum, quod paullo post, p. 471, baco scribit: *Mentis sunt leges regiae, vel imperatae.*

wateriae, multa item statuta aliorum Principum, Civitatum, Populorum, quarum legum violatio non videtur esse peccatum: huiusmodi sunt leges de lignis communibus non caedendis, de non uegando, de non pescando, de non capiendis volucribus, uel feris, de non pascendis animalibus in communibus reipublicae pascuis, de non farendis noctu armis, de non utendo hoc, uel illo, vestimentum genere, uel illa pompa funebri, etc. MART. SCHOOCKIVS, in Exercitat. unriis, Exercitat. I de Adiaphoris, p. 22. (Alioquin inter dissidentes etiam citantur: IO. SCHARPIVS, in Cursu Theolog. ALMAYNVS, de Poenit. Eccles. cap. 12. 61. BRANDVS. LVBBERTVS, de Papa Rom. Lib. VIII, cap. 7, et plures; quos uero euoluera nobis non contigit.) BALTH. MELISNERI, Philos. Sebr. P. III, Sect. II, Quæst. XII, distinguendo utramque hanc sententiam proponit, et probare nititur: I. Leges politicae, siue leuiores, siue grauiores sunt; specialiter; absolute, directe, et proprie, non obligant conscientiam. II. Leges politicae, praesertim grauiores, generaliter, hypothetice, et indirecte, conscientiam semper obligant.

## PROBLEMA XVII.

**F**VRTI poena capitalis, nostris legibus ciuitibus sancita, haudquaquam est iusta.

An furti  
poena capi-  
talis sit iu-  
sta?

### PROBATVR:

I. Quia talis poena non dici potest sibi naturae aduersari; propter quod Ius naturae non determinat poenas ciuiiles, sed in statu ciuili ad ciuitatis bonum Magistratui determinandas et applicandas permittit: cui dispiciendum est, quomodo sapienter sanciantur poenae, eaque et delicto accommodentur, ex reipublicae, ut finis poenarum obtineatur.

II. Quia sibi temerario non fit iniuria, nisi eiusmodi infligitur

gitur poena, quam antea sancitam mouerat, quamque, si legibus ciuilibus obsecutus fuisset, euitare, et poterat, et debebat. Adhaec, qui obnoxius est obseruandae legi, si in eam deliquerit, obnoxius est constitutae per legem poenae, inque eam sponte ipse consensisse iudicatur.

III. Quia aequalitas ac proportio inter delictum et poenam non aestimari tantum debet ex ipsa materia delicti, sed et ex aliis circumstantiis, in primis ex tranquillitate publica, ut in quieto sit uita communis. Eo enim felicior est respublica; quo securior ibi suis quisque iuribus frui potest. Ac certe, si unice aequalitas rei laesae et vindictae spectanda sit; tune neque unquam Christianis, aliisque Populis, in statu naturali, liceret ad vindicandas res suas suscipere bella, quae certe sine multorum hominum caedo facile geri non possunt.

III. Quia, quantum leges forenses Israelitis diuinitus latae, Exod. cap. XXII, u. 1, non capitalem furibus sanxerint poenam; eas tamen leges haud universales, neque nobis latas esse, supra iam ostendimus. Imo, ne quidem nominatim rationes speciales sanctionum illarum poenalium perpetuae sunt atque aeternae, sed maxime ex statu illius Reipublicae Θεοπατικης petitae: unde illas et in ipsa adhuc Republica Israelitica, pro diversitate circumstantiarum, aliquando mutatas, uel diverse applicatas, deprehendimus, poenis uel asperioribus, uel lenioribus, constitutis. Quod et de furti poena intelligi potest, si quædant diuinæ Codicis loca inter se conferamus. u. g. Exod. XXII, 2. Proverb. VI, 31. Genes. XLIV, 9. Ios. VII, 25. II Samuel. XII, etc.

CONSENTIVNT: DAV. RYNGIVS, in Praelect. in Exod. p. 837. ZENTGRAVIVS, in Summa Iuris diuini, Artic. I, Subsect. II, de lege forense. OSIANDER, in Obseru. ad Grot. p. 642. BALTH. MEISNER, Philos. Sebr. P. I, Sect. II, Quæst. III.

V A L.

VAL. VELTHEM, in *Introduct. ad Grot.* p. 599. MART. SCHOOK, *Exercit. XVIII.* Plures huius sententiae scriptores recenset THOM. CRENIVS, *Animaduers. Phibol. P. XX*, p. 194.

DISSENTIVNT: WOLFG. FRANZIVS, *de Interpret. Script. S.* p. 515. TAEGERVS, in *Obseru. ad Grot.* p. 199 et 463. ANT. MATTHÆVS, *de Criminibus, Cap. III, n. 4.* BACHOVIVS, *ad Treucler. Vol. II, Disp. XXX, Thes. III. lit. G.* ZEPPEVRVS, *in Legum Mosaiicarum forensium explanatione, Libr. I, c. X.* AMESIVS, *de Conscientia, Libr. V, cap. LII, p. 421.* etc.

### PROBLEMA XVIII.

**T**VSTA IMPERANDI CAVSSA, ob quam aliquis obsequium ab aliis exigere possit, neque uirtutis præstantia est per se, neque potentia maior.

An potentia, itemque uirtus maiori, per se afferant ius imperandi alius?

#### E K O E S I S.

OBSERV. I. Inter politicos pariter atque iuris naturae scriptores identidem quaeritur, quaenam sint uerae iustaeque imperii constituendi caussae, ita, ut aliquis recte, et iuri naturae conuenienter, imperium in alios sibi vindicare possit? Alii alias caussas frustra fingunt; et ex aduerso quasdam, praeter rationem, e numero iustarum imperii caussarum excludunt. Nos de ueris caussis, ueraque imperii origine, alio loco disquirimus; iam uero duntaxat negamus, tum solam sapientiam uirtutemque, tum potentiam maiorem, uerum iustumque imperii fundamentum constituerem.

OBSERV. II. Distinguendum hic est inter *caussas proprie*dis*etas**, et *occasione*m**, imperii constituendi. De occasionibus variis, inter quas et potentia referri potest, differit Cicero, *Libr. II de Offic. cap. 6*; quamquam et has ibi *caussas* appellet. Deinde distinguendum etiam est inter *ius*, et *usum*, siue *exercitium*, imperii. Etenim, licet præstantior virtus pariter atque potentia opus sit imperanti; inde tamen ipsum *ius* perfectum regnandi per se constitui, negamus.*

#### PROBA-

## PROBATOR PRIVVS MEMBRVM PROBLEMATIS:

- I. Quia sola naturae eminentia, et sapientiae ac virtutis praestantia, admirationem quidem et uenerationem quandam in aliis excitat, aptioresque ad regendos alios ostendit; non tamen ius ipsum et potestatem in eos afferit, eos demque praestantioribus subiicit.
- II. Quia, neque diversi gradus perfectionis in rebus natura libus statim dependentiam unius ab altera habent coniunctam; neque Angeli, quos nos Christiani hominibus sapientia et virtute multo praestantiores esse nouimus, sibi in nos imperium vindicant.
- III. Quia res fore difficultissimae diungulationis, et in societe humana origo ac causa infinitarum turbarum, si quis sibi eo saltem nomine potestatem atque imperium in alios actu arrogare uelit, quia iis se sapientiorem, pluribusque virtutibus instructum, profiteretur.

## PROBATOR POSTERIVS:

- I. Quia is, qui, praeter solas uires et potentiam maiorem, nullam aliam allegare nouit rationem, quare nos in iustos potestati suae et imperio uelit subiicere, terrorem quidem et metum incutere, non autem ueram parendi obligationem afferre potest; quae utique sunt distincta; cum in sola coactione ex metu orta, omnino ius ei, qui cogitur, remaneat tentandi usurpandique modos ac rationes, quibus uim alterius commode possit excutere; aut subterfugio eludere.

- II. Quia indignum est, id per se ius imperandi aliis hominibus conferre, quod feris beluis magis, quam hominibus, convenit.

CONSENTIUNT: PUFENDORFIVS, de I. N. et G. Libr. I., cap. VI, §. X et XI. GVNDLINGIVS, in Vita ad verit. Jurisprud. nat. cap. III, §. 44. OSIANDER, in Animadvers. Orthodox. contra Franc. Turretinum Libr. I, p. 157, seq. BVDDEVS, in Inst. Theol. moral. P. II, c. I, q. VIII. HOCHSTETTERVS, in Colleg. Pufend. Exercit. IH, §. V et VI. COCQVIUS, VS, in Anatomie Hobbesianis, p. 261.

DISSENTIUNT: I. qui originem imperii, et facultatem alios obligandi, ex sola naturae praestantia derivant; u. g. ARISTOTELES, Libr. III Polit. cap. XII, et alibi: MOSES AMYRALDV, in Dissert. I de Iure, p. 81 in creaturam SEBVLVEDA, Hispanus, ab aliis notatus, qui Hispanis ius et potestatem in Americanos uel eo argumento assertum est, quod Hispani Americanis fuerint praestantiores prudenter aliisque virtutibus. Conf. FRANC. de VICTORIA, Pragmat. moral. V, Sect. III, n. 17, ubi agit de Indis nouiter ingentis. II. Qui generatim cum Gallis ueteribus, apud LIVIVM, Libr. V, cap. 35, iacitant, se in armis ius ferre, et omnia fortium virorum esse. HOBBESIVS, de Cive, cap. XV, n. 5. et in Leviath. cap. XXXI, etc.

## PROBLEMA XIX.

**V**OLUNTARIA SVBIECTIO, et mūtuus im- *An contractus  
perantis atque subiectorum consensus, uera  
quidem et iusta est IMPERII CAVSSA; sed non unica.* *fus sit sola  
imperii  
causa iu-  
sta?*

### PROBATVR PRIMVM MEMBRVM PROBLEMATIS:

- I. Quia, cum extra statum ciuilem, omnes homines liberi, atque ab aliorum hominum Imperio immunes, nascantur et existant ( si parentum liberorumque congenitum nexum exceperis) tum imperium ordinarie, non nisi facto humano acquiritur; id autem factum naturali rationi conuenientissimum est, quod, uti alia iura et obligationes, ita et imperium atque subiectionem, mutua uoluntate transfert, mutuoque consensu constituit.
- II. Quia iis non potest dici fieri iniuria, qui sponte renuntiant libertati suae, et scientes prudentesque aliorum potestati se subiiciunt, si horum imperio regantur.

### PROBATVR POSTERIVS:

Quia, quod paullo post probatum dabimus, iusta datur regendum aliorum potestas, etiam ante et praeter consensum subiectorum. Ita omnes homines, nolentes uolentes, per *naturalem dependen-  
tiam*, ex creatione et conseruatione consequentem, diuino imperio subiecti sunt; neque DEVS sui in homines iuris originem ab horum consensu repetit. Ita patrium ius in liberos existit, etiam antequam hi consentire, uel possint, uel uelint. Ita et uictores iam ex ipsa plena & absoluta belli iusti uictoria in deuictos, quos sub potestatem suam redegerunt, ius & imperium nanciscuntur. Ita porro infantes, in ciuitate nati, imperio ciuili recte sunt subiecti, antequam uelle et consentire possint. Nihil iam dico de Regibus Israeliticis, quibus DEVS extra ordinem, & *apostolus*, detulit regnum; quique adeo ius suum non proprio consensi populi Israelitici acceptum retulerunt. *Quoties enim, ut recte ait HORNIVS de ciuit. p. 464,  
in sacris litteris legimus, aliquem a DEO extra ordinem electum  
fuisse, nunquam sancitur, hanc electionem frustrancam fore, si po-  
pulus*

*pulus eandem consensu suo non comprobauerit.* Nimicum, quemadmodum omnis obligatio, vel *congenita* est, siue per ipsam naturam ita existit, ut non demum ex consensu obligati oriatur; vel *acquisita*, & *aduentitia*, quae certo iustoque facto fulcitur: ita & sigillatim obligatio ac necessitas parendi aliis, vel *congenita* est, vel *acquisita*. Aliando utrumque genus concurrere potest. Similiter etiam de origine & causa imperii iudicandum est.

CONSENTIVNT: TITIVS, in *Observat.* LVI ad Pufendorf.  
*Libr. de off. H. & C. HOCHSTETTERVS, in Collegio Pufendorfiano, Exercit. III, f. 5. & 6. EPHR. GERHARDVS, in delineas.*  
*Iur. Nat. Libr. I. c. V. f. 27. etc.*

DISSENTIVNT, qui non nisi ex consensu imperium iustum inter homines existere tradunt, v. g. PVFENDORFIVS, in ELEMENTIS Iurisprudentiae uniuersalis, *Libr. II. Axiom. II. f. 3. p. 371.* Ob naturalem, inquit, hominum inter se aequalitatem, non potest uni in alteram potestas oriri, nisi ex alterius consensu, qui vel expresse significatur in pacto, ut in subiectione ciuii; vel ex pacto velat tacito presumitur, uti fit in scrutitate statum belli subsecuta, et subiectione filiali. Item alii, quos ad sequentia Problemata commemorabimus.

## PROBLEMA XX.

*An Maie-*  
*gas impe-*  
*rantibus*  
*immediate*  
*conferatur*  
*a DEO?*

**S**VMMVM IMPERIVM NON dicitur, siue immediate, sed ipsum, siue mediate, constituit confert que DEVS.

### E K O E S I Z.

OBSERV. I. Haec controuersia iamdudum publice priuatimque est agitata, sed non eodem semper consilio. Commemorat GRAMONDVS, rerum Gallicarum Scriptor, *Libr. I. p. 62. & 63. edit. Francof.* a tertio Galliae ordine A. CCICCC XV. hanc sententiam propositam fuisse, ut Regum in subditos potestas uni DEO immediate debita haberetur. A qua sententia, quamvis ab inicio Clericos & Nobilitas Galliae aliquatenus discesserint, quum censerent, non

non nisi politicam hanc esse thesin ; ueram , si de Galliae Regibus ; dubiam & plerumque falsam , si de Principum promiscue omnium in subditos potestare , intelligas ; nullo casu esse de fide : nihilominus tamen postea in solennibus consitiis decretum factum est , Regum Galliae immediatam a D E O potestatem , posthac legem regni Gallici fundamentalem fore . conf. idem GRAMONDVS , Libr. II , p. 95 . Similiter LUDOVICI Bauari , Imperatoris , tempore publica constitutione hanc sententiam sanctam fuisse legimus : imperiale dignitatem & potestatem esse immediate a solo D E O . Bene autem animaduertit illustris THOMASIVS , in fundament. Iuris Nat. & Gent. Libr. III. c. VI. §. 9 , eiusmodi decreta tunc eorum potissimum opinioni fuisse opposita , qui in Germania atque Gallia publice docuerint , potestatem Regum non immediata a D E O sis conferri , sed mediante Papa ; adeoque maiestatem immediate oriri a Papa . Verum , uti non opus erat , ut ad negandam Regum constituendorum auctoritatem , quam sibi Pontifices arrogarunt , ab eiusmodi opinione praesidium arcesseretur ; utope quae multo rectius aliis , iisque uerioribus , argumentis potuisset conuelli : ita neque tot Theologi nostri atque Iurisconsulti necesse habuissent , idque saepe non sine magna animorum commotione , tueri , non posse saluam esse imperantium auctoritatem , neque regnum ac rerum publicarum tranquillitatem , salutemque publicam tutam haberi , nisi doceatur , publiceque sanctiatur , D E V M esse solam & unicam causam maiestatis , et eam a D E O imperantibus apertos quasi infundi . Certe non minus sua auctoritas sanctitasque constat imperantibus , tranquillitasque publica hinc munitur , si D E V S ipsi est , quam si apertos , summam potestatem constituat , rectoribusque populorum impertiatur : haud fecus , ac eadem erat efficacia & sanctitas Legum diuinarum , quas D E V S per ministerium Mosis populo Israelicito praescribebat ; quam quas Moses sibi datas a D E O ipse accipiebat .

OBSERV. II. Dum uero affirmamus , hodie summam potestatem a D E O non nisi mediata constitui , conferrique ; non tamen affirmamus , Principem iure tantum humano imperium habere , cum D E V S utique uelit & probet , ac sua lege muniat imperia , et ad ea

constituenda peculiari concurrat prouidentia, voluntates populi, aut ordinum, penes quos ius est, mouendo, dirigendo atque fleetendo. Neque inficias imus, D E V M posse immediate conferre suam potestatem, et in veteri Testamento, in republica quidem Iudaica, candens quibusdam dūisōws contulisse; quod utique exemplo Iosuae, Num. XXVII, 15 — 23. item Saulis & Davidis, 1. Sam. IX. n. 15. seqq. XVI. n. 12. intelligimus. Sed nos non de eo, quod extra ordinem fecit D E V S , aut de illa Reipublicae Israeliticae constitutione, hoc loco differimus.

OBSERV. III. Evidem THOMASIVS, in Fundam. I. N. & G. p. 195. & GRIBNERVS, in Principiis Iurispr. natur. p. 163. fatentur, quæstionem hanc esse mere theoreticam, & nullum habere in definiendis præceptis Iuris naturae usum; nobis tamen omnino satius uidetur, simplicem certamque tenere ueritatem; quam in incerto fluctuare; cum errores theoretici, tanquam principia commentitia, non raro morum doctrinae magis officiant, quam profici-

#### P R O B A T U R .

- I. Quia, ubi intercedit causa secunda; ibi effectus non a causa prima unice et dūisōws proficiunt recte dici potest. Iam autem recipia uidemus, hodie imperantes non ab ipso D E O dūisōws designari, sed et hominum placito ac consensu constitui, iisque per pacta, et capitulationes, legesque fundamentales, summum imperium, modo liberius, modo adstrictum magis, concedi, et hinc fines ac magnitudinem summae potestatis ciuilis aestimari. Atque adeo, si ad imperium constituendum nihil conferat factum hominum, dici comprehendique non posset, quid sibi uicit uel conuentus populi et ordinum, imperantem sibi elegerunt; uel et Ius uictoriae, sive occupatio legitima?
- II. Quia, uti singuli homines, alias liberi et a subiectione immunes, sponte et dūisōws aliis se subiucere, et in eosdem ius regendi sui transferre possunt; ita multo magis totus populus, tranquillitatis et salutis publicae causâ, ius regendæ societatis ciuilis certis imperantibus arbitrio et consensu suo dare potest.

#### III.

III. Quia ipsa summa potestas maiestasque nihil aliud est, quam complexus iurium, ad regendam societatem ciuilis pertinen-  
tium, quae quidem a voluntate divina, tanquam prima caussa,  
auctoritatis et valoris sui firmamentum habent; sed ex natu-  
ra societatis civilis proxime fluunt, et cognoscuntur, factaque  
humano transferuntur.

III I. Quia ipse Diuis PETRVS, 1. Epist. II. 13, τὴν ἰερωταῖαν, pote-  
ſtatem ciuitatem tuocat κίνον ἀρχεπικίνην, ordinationem huma-  
nam. Vnde patet, saltem DEVVM, non ita recte dici cauſsam  
summi imperii immediatam, ut, quod tradit HORNIUS,  
Libr. II. de Ciuit. cap. I, §. 9. & 10, omnis cauſae propin-  
quae es secundae influxus excludatur.

**CONSENTIVNT:** GROTIUS, de I. B. et P. Libr. I. cap. III.  
§. VII. n. 3. PVFENDORFIVS, de I. N. et G. Libr. VII. c. III.  
THOMASIVS, in Iurispr. diu. Lib. III. c. 6. §. 68. seqq. & in  
Fundamentis I. N. L. c. BOEHMER, in Iur. publ. uniuers. Libr. I.  
c. I. §. 24. seqq. DAV. RVNGIVS, in Epist. ad Rom. Disp. XV.  
§. VI. f. 280. SCHERZERVIS, in System. Theol. ad loc. XXVI.  
§. 10. BAIERVS, Theol. posit. P. III. cap. XV. §. 3. BVDDEVS,  
in Theol. mor. Lib. II. c. III. Sect. VII. §. 15. & in Dissertat.  
de Concordia religionis Christianae statusque ciuilis, cap. V. §. V. seqq.  
ADR. HOVIVYN, Polit. contract. in §. 16 17. 18. HVBERVIS, de  
iure ciuitatis, Libr. I. Sect. VII. cap. IV. §. 11. seqq. HERTIVS,  
Dissert. de modo constituendi ciuitatem, Sect. II. §. 3. et 4. EPSTEL-  
NIVS, in notis ad Hornii Libr. II. de ciuitate, cap. I. VVILLEN-  
BERGIVS, in Sicilimentis I. N. et G. Libr. I. cap. III. Qu. XV.

**DISSENTIVNT:** OSIANER, in obseruat. ad Grotium. p. 469.  
HULSEMANNVS, in Breuer. cap. XXI. §. 3: PEERVS DE MAR-  
CA, Libr. II. de Concord. regni et sacerdos. cap. 2. SALMASIVS,  
in defensione regia, cap. II. et III. seqq. ZIGLERVS, de Iur.  
Maiest. Libr. I. cap. I. §. 46. et in Notis ad Grotium, p. 126. et 176.  
GRASVINKELIVS, de iure maiest. cap. I. et II. HORNIUS, Libr.  
II. de ciuit. cap. I. BOSIVS, in notis. rerumpubl. cap. III. §. 7.

VITRIARIUS, in *Instit. I. N. et G. Libr. I. cap. III. §. 50.*  
 HENNIGES, in *Obseruat. ad Grotium, p. 162.* KLAVSINGIUS,  
*in vindicis et disquisit. moral. marii argumenti. Quæst. 7. p. 98.*  
 ROEHRENSEE, in *Dissert. de Majestatis causa genuina.*

## PROBLEMA XXI.

*Origo patriæ potestatis unde repetenda?*

**C**AVSSA ATQVE ORIGO POTESTATIS ET IMPERII PARENTVM IN LIBEROS naturali ratione proxime existit et cognoscitur ex generatio-ne et educatione.

### ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. I. Sunt equidem quidam Scriptores iuris naturae, qui censeant, *imperium paternum* non esse proprio imperium; quia, cum ad maturam aetatem perueniant liberi, et beneficia cessent, id non amplius appareat: si quid amplius in eo sit hodie, id non nisi ex iure ciuili uenisse uideri. At enim uero, licet facile concedamus, *imperium ciuile ratione amplitudinis et splendoris* ab imperio paterno differre; neque refragemur, si quis ex ea ipsa causa ius Parentum in liberos, alio, quam imperii nomine, designare uelit: si tamen patrii iuris uirtus atque virtutem in statu naturali, et extra leges societatis ciuilis, consideremus, id omnino eximium, et tantum non imperii ciuilis aemulum esse, utque hodie strictius circumscribatur, et liberis ad maturam aetatem prouectis, uix amplius appareat, maxime ex iure ciuili uenisse, arbitramur. Id quod alio tempore uberius declarabimus; interim, si imperium generatim non est, nisi potestas superioris in personas a se dependentes, inque actiones carundem; sufficit nobis in praesens, hac ratione etiam patriam potestatem recte appellari posse imperium.

OBSERV. II. Bene recteque philosophatur s IMPLICIVS, in *Commentario graeco ad Epicteti enchiridion, cap. XXXVII, statu et ordines hominum inter se non esse uniuersum generis: alias enīas, ḡras,*

*χίρες*, siue *status et nexus*, *mutuosque respectus, esse naturales*; *alios voluntarios*, siue *mere aduentitios*; *alios medios*, et *quasi mixtos*. Ad postremum genus referimus statum societatis parentum et liberorum inter se. *Obligatio enim liberorum erga parentes, recte appellari potest naturalis et congenita*; propterea, quod nolentes uolentes, simulac generantur, naturali vinculo potestati parentum subsunt: quam adeo obligationem et *nexus non voluntas liberorum*, sed ipsa natura, constituit. Ex parte uero parentum utique quodammodo uoluntarium factum intercedit: cum ius paternum in liberos, non cum ipsis quasi nascatur; sed aduentitium sit, et tum demum existat, cum generarint liberos, educandosque susceperint. Quae obseruatio utique non habet nullum usum in mutuis parentum liberorumque officiis ac iuribus aestimandis atque dimetiendis.

**OBSERV. III.** Fundamentum autem iuris parentum simul in *generatione et educatione* collocandum existimamus. Etenim, quamvis iam generatio primario et per se constituat ius parentum (nisi id uel totum, uel ex parte, certo modo in alios transferatur) educatio tamen illud ipsum non solum magis confirmat, sed etiam eius fines et limites potissimum per virtutis regulas magis determinat. Imo, quia educatio est ueluti generationis continuatio, aut certe quaedam eius *τελείωσις*, per quam partus quasi ad suam maturitatem perducitur; itaque merito generatio et educatio simul coniunguntur, ad declarandam imperii paterni originem et mensuram.

**OBSERV. IV.** Cum uero de caussa et origine potestatis Parentum in liberos differimus, id maxime disquirimus: quena ratione et caussa proxima nobis ex lumine naturae appareat, cur Parentibus ius competit liberorum regendorum?

**OBSERV. V.** Quamvis adeo proxime caussam et originem imperii parentum ex *generatione et educatione* liberorum repetamus; eius tamen causam summam, aequa ac imperii civilis originem ultimam, a uoluntate DEI arcessendam esse, agnoscamus. Etenim mutuus ille parentum et liberorum nexus utique etiam lege diuina naturali munitur; propterea, quod Deus etiam per lumen rationis homi-

hominibus significat, se uelle, ut parentibus liberorum regendorum ius competit, et ut liberi ad obediendum parentibus obligentur; cum aliter societas humana propagari et commode feliciterque conseruari non possit.

PROBATVR ΘΕΣΙΣ:

- I. Quia per generationem liberi fiunt quasi pars parentum, dum ex eorum substantia excitantur; eorum sanguine nutriuntur; eorum flammula vitali primum motum sibi impressum, ipsamque humanitatem communicatam, recipiunt. Docente enim Plutarcho, *in libro de tarda DEI vindicta: omne, quod genitum est, non ut opificium factum, alienum est a gignente; quia ex eodem, non ab eodem factum est.* Hinc generando proxime parentes sibi ius acquirunt in liberos, tanquam in partem sui, ita, ut liberis imperare possint *ως εαυτῶν τι γένει*, prout Aristoteles loquitur, *ad Nicomach. Libr. VIII, cap. 12.* Per quem igitur actum iuri naturae conuenientem, filius est filius, et a patre ut filius acquiritur; is actus merito fundamentum proximum est Imperii paterni. Nempe per generationem liberi non solum fiunt homines, sed et homines nostri; atque adeo, quemadmodum parentibus praे aliis hominibus maius erga liberos officium, ita et maius ius, constituitur.
- II. Quia, dum parentes obligantur ad educationem, per quam liberi in honorem DEI, inque suam suaque familiae ac societatis humanae felicitatem, a prima infantia ad maturitatem tum corporis, tum animi, perducantur; non possunt non etiam hoc nomine simul potestatem in liberos consequi, sine qua finis obtineri non potest. Etenim, quod recte tradit GROTIUS, *de iure B. et P. Libr. II, c. V. §. 24, necessitas finis utique ius facit in moralibus.* Vnde et bene LACTANTIUS, *Libr. IV. inst. diuin. cap. 4. Quis poterit, inquit, filios educare, nisi habeat in eos partem dominii?*
- III. Quia parentes generando et educando liberos ueluti referunt DEVUM, creatorem hujus uniuersi. Iam uero, sicuti DEO pri-mario

mario ius in res creatas competit, propter creationem et conservationem; ita etiam proxime ex generatione et educatione ius Parentibus in liberos comparatur; ea tamen ratione, ut, cum Parentes tantummodo uelut causa secunda ad generandam sobolem concurrant, eo ipso non nisi *subordinata* illorum, et infinitis modis diuino iure inferior, potestas hinc intelligatur.

**CONSENTIT BARBEYRACIVS**, in *Comment. ad Pufendorfii I. N. et G. Libr. VI. c. II. §. 4.* Nec multum abit ab hac sententia **GROTIUS**, de *I. B. et P. Libr. II. cap. V. §. 1*, qui primarium fundamentum patrii iuris arcessit a generatione; quem et alii plures sequuntur. *Conf. et Disput. nostra, de limitibus pietatis liberorum erga parentes, §. IX.*

**DISSENTIVNT: HOBBESIVS**, de *cive, cap. IX. §. 2*, qui originem dominii in infantes ex iure uictoriae deducit. **OSIANDER**, in *Observationibus ad Grotium*, p 725, qui eandem *dūces* tribuit mandato diuino. **HORNIUS**, de *Ciuitate*, *Libr. I. cap. II. §. 3*. et **HENNIGESIVS**, in *Observationibus ad Grotium*, de *I. B. et P. p. 434*; qui itidem ad diuinam concessionem, et imperium a **DEO dūces** parentibus delegatum, configunt. **PVFENDORFIVS**, *I. N. et G. Libr. VI. cap. 2*, qui caussas imperii paterni maxime repetit ex *alimentatione et praesumto liberorum consensu*. **TESMARVS**, in *Annotatis ad Grotii I. B. et P. Libr. II. cap. V. §. 15*, qui ius paternum deducit ex *tenerrimo illo amore*, quem natura inspirat erga sobolem. **EPHR. GERHARDVS**, in *Delineat. Iur. Natur. Libr. III. cap. III*; qui tradit, parentes non stricto iure, sed tantum ex lege humanitatis et decori, extra ciuitatem obligari, ut liberis subueniant. **IOH. LAVR. FLEISCHER**, in *Institut. I. N. et G. Libr. III. cap. III. §. 5*, qui paternae potestatis originem tantum ex educatione deducit.

## PROBLEMA XXII.

**CONSENSVS DE VICTORVM** non necessario re-  
quiritur ad producendum afferendumque *rum nece-  
sario requi-*  
*sus deuicio-*  
*IVS ratur ad*

K

IVS ratur ad

*producen-  
dum, affer-  
rendumque  
ius uictoris  
in deuictos,  
eorumque  
res occupata-  
tas?*

**IUS VICTORIS** in hostes iuste deuictos, eorumque res occupatas.

**E K Θ E S I S.**

**O B S E R V. I.** Inter Iuris naturae scriptores uidemus aliquando disputari, quodnam sit genuinum fundamentum, et quis iustus titulus, quo uictor in uictos imperium, et in eorumdem res occupatas, dominium, recte acquirat, atque tueatur? Numa sua natura iam sufficiat sola occupatio bellica, et ius victoriae; an praeterea etiam necessario requiratur deuictorum consensus et subsecutum pactum, ita, ut sine hoc, uictor neque uictis iuste imperare, neque de rebus eorum captis iuste disponere possit? Nam plurimi, quos nouimus, Iuris naturae scriptores consensum deuictorum utique necessarium existimant esse ad iustum imperium dominiumque bello querendum. Sic enim non paucis sententia, nullum dari iustum imperium, nisi cuius origo a consensu imperantium et parentium deducatur. Quae uero sententia, quam parum in uniuersum ualeat, ex disputatione horum Problematum haud difficulter licet colligere.

**O B S E R V. II.** Quamquam autem uictor ius suum in personas resque hostiles, quas bello iusto in suam redegit potestatem, non deinde uoluntati et consensi hostium deuictorum; sed, uolente iure naturae, iustae victoriae sua, proxime recteque acceptum referat: facile tamen largimur, subsecuto hostium deuictorum consensu magis declarari, et quasi corroborari, securiusque reddi, uictoris ius, iam alio iusto titulo partum, deuictorumque animos et conscientiam pactionibus et sacramento solenni magis devinciri. Ino et illud largimur, in casibus certis ex pactionibus deuictorum posse uictori, vel nouum ius oriri, vel ius partum certis limitibus circumscribi; si nimirum utraque pars certas imperii conditiones mutuo paciscantur, aut deuicti ultro plus deferant ad uictorem, quam hic suis ipse armis sibi acquisuerat. At sic fortasse ueluti mixtus quidam modus acquirendi imperii existeret, qui partim a iure uictoriae, partim ex pactione mutua, foret deducendus.

F R O-

## PROBATVR ΘΕΣΙΣ.

- I. Quia, quos quis iure uicit, iure in potestatem suam redigisse censetur; adeoque, iam per ipsam uictoram, in uictos, eorumque res occupatas, potestatem iustum habet.
- II. Quia ipsum ius uictoriae, ne inefficax sit, iam sua natura, et citra necessitatem consensus deuictorum, id concedit uictori, ut ad compensationem iniuriae sibi illatae, et ad nocendi liberdinem uiresque in hostibus minuendas, iis ipsis in potestatem suam redactis, certa bona, iura, et ipsam libertatem, adimat, aut certe ita cum iisdem agat, ut cum hominibus suo imperio addictis, et cum rebus suo dominio subiectis.
- III. Quia, si nulla per se sit efficacia, nullumque ius uictoriae uerae, et occupationis bellicae, nisi uicti consentiant; tunc non intelligeretur, quid prosit ipsa captura personarum rerumque hostilium, siquidem ea non sit, nisi *physica* et nuda illarum detentio, sine iure, h. e. sine omni imperio in personas, aut sine dominio in res bello captas.
- III. Quia, si a consensu deuictorum omnis dependeret acquisitio bellica; semper peccare uiderentur uictores, qui, inuitis et non consentientibus hostibus, res bello captas, dum possent, et ex re sua fore censerent, in usum suum conuerterent. Id quod ab omni iure uictoriae est alienum.
- V. Quia, si uictori ad ius in res hominesque iusto bello captos adhuc per se necessaria sit deuictorum consensio; tunc futurum esset, ut nullus facile finis bellorum appareret: tum, quia plurimi uicti, denegato consensu, ius uictori eripere, quam uoluntate sua deferre, mallent; tum, quia sub praetextu consensus, non rite dati, turbis perpetuis via aperiretur.

**CONSENTIUNT:** HENR. COCCEIUS, in *Diss. de iure uictoriae diuerso a iure belli*, §. 23. IOH. FRID. HORNIUS, *de ciuit. Libr. II, cap. IX, §. 2. Conf. Disputatio nostra de iure uictoriae in res deuictorum incorporales*, §. 19.

DISSENTIVNT: HOBESIUS, in *Leviathan.* cap. 20. PV-FENDORFIVS, I. N. et G. *Liber. VII, cap. VII, §. 3. et Liber. VIII, cap. VI, §. 20.* item, de *Offic. H. et C. Part. II, cap. XVI, §. 13 et 14.* ZIEGLERVS, in *notis ad Grotium,* p. 516. HERTIVS, in *Diss. de modo constituenda ciuitatis,* §. 14. quae Tom. I. *Opuscul. select. extat.* BVDDEVS, *Philosoph. pract. cap. V, Sect. VI, §. XI.* IAC. GABR. VVOLFIUS, *Institut. Iurisprud. nat. P. II, S. II, c. XV, §. 7.*

### PROBLEMA XXIII.

*Cur alicui tanquam auctori posse imputari factum?* **F**undamentum eius IMPUTATIONIS, QVA FACTVM REFERTVR AD FACIENTEM, siue auctorem, tanquam ad caussam, est *proximipos.*

E K O E S I Z.

OBSERV. I. Parum prodest jurisprudentia, nisi etiam ueram imputationis scientiam complectatur. Non sufficit, nosse leges; nisi quis etiam nouerit eas recte applicare ad factum, et factum ipsum iuste referre ad auctorem, tanquam caussam efficientem. Hinc doctrina de imputatione merito traditur etiam in *Systematibus iurisprudentiae naturalis.* Sed, quod experientia testatur, hucusque plerumque non satis distincte luculenterque exponitur: propterea, quod neque genera, neque fundamenta, imputationis satis discerni soleant, et plerique scriptores omne genus imputationis non nisi ad unicum fundamentum, et alii quidem ad aliud, referendum duxerunt. Tentabimus igitur pro parte uirili, an huic tam difficiili, quam utili, doctrinae non nihil lucis afferre possimus; meliora uero monitoris ultro accedemus.

OBSERV. II. *Imputare* est uox translatata ex Arithmeticis ad doctrinam morum, uulgoque notat, *zurechnen / auf Rechnung anschreiben / zuschreiben / zueignen.* Vbique infert *χειρ* quandam et *relationem* atque *applicationem;* neque in ipsa disciplina morum uno modo *imputare* dicimus. Nos tria potissimum imputationis genera

nera obseruamus ; quorum primum genus, discriminis ergo, vocabimus *imputationem caussae*, seu, si ita uis, *imputationem caussalem* ; qua nempe factum, sive actio moralis, refertur ad caussam efficientem, et ubi in quaestione facti disquiritur, *quis auctor facti fuerit*, et cui id recte, ac citra iniuriam, tamquam caussae efficienti et moraliter agenti, tribui adscribique possit ? Exempli gratia, si commissum fuerit homicidium ; quaeritur, cui id factum imputandum ? Quis eius auctor pronunciandus ? De ceteris generibus imputationis postea seorsum agemus.

OBSERV. III. Omne autem genus imputationis, uel *ἰνεργητικῶς*, uel *παραγητικῶς*, dici solet. Sic, e. g. imputatio caussae *ἰνεργητικῶς*, sive *actiue* sic dicta, non est aliquid in ipsa actione morali, sed in homine ; et quidem tunc est *operatio quaedam intellectus*, qua actio, eiusque effectus, uel ex toto, uel ex parte, itemque uel *άμεσως*, uel *εμμέσως*, uel *solitarie*, uel *per communionem*, uel *principaliter*, uel *minus principaliter*, uel *antecedenter*, uel *consequenter*, ad auctorem aliquem pertinere censetur ; quando nempe ratiocinamur, et dijudicamus atque declaramus, cui, tamquam auctori, aliqua actio moralis, eiusque effectus sic imputari adscribique debeat ? *Imputatio παραγητικῶς*, seu *passiue* dicta, quae a Pufendorfio aliisque dicitur *imputariuitas*, est *affectio et qualitas* quaedam actionis moralis, per quam illa apta est, ut ad auctorem suum istis modis referri possit, aut actu referatur.

OBSERV. IV. Nos in hoc Problemate sigillatim agimus de *imputatione caussae* ; cuius fundamentum uerum statuimus esse *προαισθενία*, h. e. voluntatem cum intelligentia quadam coniunctam, (einen verständlichen Willen) Neque nunc nomen *προαισθενεώς* tam stricta accipimus notione, quam ei veteres tribuerunt Philosophi. Potiorem autem *προαισθενεώς* rationem in voluntate collocamus. Quemadmodum uero illa *προαισθεσία* pro diuerso modo et mensura *motio* et *intellectus* aliqua ratione praeludentis, varie, neque uno pondere, ad actiones humanas concurrat ; non est, quod hoc loco copiose exponamus.

## PROBATVR ΘΕΣΙΣ.

- I. Quia naturae rerum nihil est conuenientius, quam ut actio humana, quae a facultate rationali, sive ab intellectu et uoluntate hominis, proficiscitur, in tantum tribuatur homini, in quantum ille προαιρετικῶς, i. e. sciens et uolens, egit, actionemque produxit. Si enim non ab intellectu et uoluntate hominis proficiscatur, ne quidem foret actio humana et moralis; neque homini, tanquam homini, imputari queat. Vbi tamen utique primaria ratio habenda est uoluntatis; quoniam aliquando fieri potest, ut etiam cum ignorantia et errore uoluntas sit coniuncta. Huc adeo ea pertinent, quae TITIVS, Obscrv. 42 et 43. ad Pufendorfium de O. H. et C. scripsit. Quamobrem actio, inquit, alii cui imputetur, eius rei ratio recte redditur, quia est uoluntaria. Ait, si amplius ins'es, cur actio uoluntaria imputetur, tum nulla ulterius ratio reddi potest, sed illa ueritas indemonstrabilis est, et immediata perceptione apprehenditur. A uoluntate igitur ad imputationem, affirmatiue et negative, ualeat argumentum, sed in foro humano, ac praesupposito genuino uoluntatis gradu.
- II. Quia hinc demum uere intelligitur, cur e. g. homini non imputentur, tanquam caussae moraliter agentis, actiones mere naturales; casus uere fortuiti, qui extra facientem sunt; actiones alienae, quae non nostra uoluntate excitatae, uel repressae sunt, etc. quia nempe tunc abest fundamentum primarium imputationis caussae, nempe uoluntas: qui enim noluit, sive nullo modo uoluit agere, non moraliter egisse censetur.

## PROBLEMA XXIV.

*An fundatum imputationis moralis fit conuenientia et disconuenientia cum lege?*

**F**undamentum eius IMPVTATIONIS, qua ius applicatur ad factum, factoque tribuitur moralis bonitas, uel prauitas; iustitia, uel iniustitia; est conuenientia et incongruentia actionis cum lege. EKOE-

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. Hoc alterum est genus imputationis, ratione fundamenti a priori distinctum; quod tamen prius supponit, aut saepe coniungit; aliquando tamen seorsum esse potest. Fit enim interdum, ut aestimemus iudicemusque factum, utrum iustum, an iniustum sit, cuius auctorem adhuc ignoramus, uel prorsus non rescilimus. Hoc genus imputandi aestimandique, differentiae causa, appellemus licet *imputationem normae*, uel *καθ' ιχοχνίην*, *imputationem moralem*, seu *aestimationem moralem*, seu *applicationem iuris ad factum*; haecque aestimatio potissimum respicit primam partem cuiusvis legis, quae dicitur *definitiva*; quia definit et indicat, quid sit faciendum omissendumque? Per hanc adeo imputationem et aestimationem proprie applicamus accommodamusque leges ad facta, ut horum iustitiam, uel iniustitiam, aut generatim bonitatem uel prauitatem moralem, hinc cognoscamus.

## PROBATVR ΘΕΣΙΣ.

Quia nulla propior ueriorque ratio cognosci reddique potest, cur aliquod factum sit *moraliter* bonum, uel malum; iustum, uel iniustum; aequum, uel iniquum; honestum, uel turpe; praceptum, uel prohibitum, uel licitum; quam prout cognosci declararie potest, quo usque id cum legibus, uel obligantibus, uel permittentibus; diuinis uel humanis; cum regulis iuris, uel virtutis, et sic porro, conueniat, aut non conueniat? Hinc etiam gradus prauitatis ostendi possunt; prout nempe factum aliquod, uel per plures grauioresque, uel per pauciores *circumstantias*, legi alicui repugnare intelligitur.

## PROBLEMA XXV.

**F**undamentum eius IMPUTATIONIS, qua meritum cuiusvis facti, eiusque auctoris, aestimatur, est pars *sanctionalis* legis.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. Hoc genus imputationis, differentiae causa, uocamus *imputationem meriti*; idque proxime conuenit, imo coniungi debet,

*Quodnam  
sit funda-  
mentum im-  
putationis  
meritorum?*

debet, cum praecedenti genere *imputationis normalis*; propterea, quod et hoc genus *normalis actionum*, nempe legem, respicit, sed *epūs* alteram legis partem, quae *sancionalis* appellari solet, quaeque sancit et indicat cuiusvis actionis, si conueniat cum lege, fructus et praemia; si repugnet legi, poenas, cum generales; tum speciales; cum naturales, tum arbitrariorum. Hac ergo notione, *imputare* nihil aliud est, quam declarare, quod *meritum* sit alicuius facti, eiusque auctoris; siue declarare, quem effectum mereatur fortirique debeat facientis factum.

**Conf. D.N. GUNDLINGIUS, in Via ad Iurispr. nat. cap. IV. 16.**

### PROBATVR :

Quia nulla aquior et uerior diiudicatio atque aestimatio meriti quarumvis actionum humanarum esse potest, quam que has refert ad uoluntatem legislatoris, praemia et poenas factorum constituentis. Voluntas legislatoris est fons et causa determinatae poenae; ergo et fundamentum est cognoscendi, qualem quodque factum poenam mereatur. Id quod nominatim in statu ciuili euidentissimum est, ubi proprie poenae ciuiles locum non habent, nisi quae a summa legislatoris uoluntate per sanctiones legum determinantur, aut eius arbitrio reseruantur. In legibus naturalibus, loco sancionis, non solum intelligitur malum, quod, ex ordinatione DEI sapientissimi, naturali ratione et per se fluit ex violatione legum naturalium; sed etiam recte intelligitur poena, iusto DEI arbitrio relieta. Leges uero permittentes cuiuscunq; generis parte iudicatiua destituuntur; adeoque actionum licitarum, quae secundum uoluntatem permittentem legislatoris sunt, proprie nullum datur meritum, nulla poena. Sunt autem uel *merita*, i. e. poenae et praemia, *specialia factorum humanorum*, quae facilius ex *determinatione sancionali* legum voluntariarum, siue ciuinarum, siue humanarum, cognoscuntur; uel sunt *merita generalia*, quae omnes leges magis *supponunt*, quam sigillatim repetunt et inculcant. Exempli gratia, generalia praemia recte factorum sunt: approbatio legislatoris, laus honorum, tranquillitas conscientiae in faciente, eiusque status conservatio, etc. Poenae generales peccati et rei male gestae sunt: offensa legislatoris, uituperatio, laeta conscientia facientis, aliaque damna, quae ex natura mali facti propullunt. Legislatoris igitur quidem, non uero interpretis legis, est, sapienter praescribere ac metiri poenas et praemia factis paria. Interpreti legum sufficit, indagare legislatoris uoluntatem sancctionalem, camque ad facta recte applicare.

**CONSENTIENTES** et **DISSENTIENTES** **SCRIPTORES** ad haec tria Problemata, quae fundamenta imputationis explicant, excitare supersedens; partim, quia doctrina de imputatione fere in omnibus *Systematibus Iurisprudentiae naturalis* tractatur; partim, quia uix hucusque aliquem scriptorem nobis inuenire licuit, quem ex omni parte nobiscum consentientem, uel dissentientem, appellare possumus. Interim operae pretium fuerit adire, **PVFENDORFIVM, I. N. et G. Libro I. cap. V. et VIII. Additament. ad OBSERVATIONVM SELECTARVM HALLENSIVM Tomos X. pars. X.** ubi agitur de *imputatione morali*; Item **GUNDLIN: GIANORVM partem XXXVI, n. V.**



## PROBLEMA XXVI.

**N**on est iusta belli caussa, si populi hominesque extranei, nobis non subiecti, male agant, et peccata contra ius naturae admittant, quibus quidem nos, nostrique ciues, et foederati, non laedantur.

*An bellum  
punitionis,  
idque in-  
sum, detur  
inter gentes  
liberas?*

### ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. I. Qui iurisprudentiam naturalem tradunt, bene recteque de iustis bellorum caussis exponendis sunt solliciti. Quarum quamvis plures aliquando recensent, eae tamen omnes facile ad unum genus possunt referri. Una enim iniuria, siue laesio perfecti iuris nostri, eiusque siue congeniti, siue acquisiti, iusta belli caussa esse potest. Quodsi enim iniuria nobis iam fuerit illata, nobisque certa iura iniuste sint adempta; tunc ea vindicare et recuperare licet per *bellum recuperatorium*, quod parum apte *offensivum* appellatur. Siue iniuria et laesio nobis in praesenti intentetur ab aliis; tunc iura nostra aduersus iniustos inuasores in statu naturali etiam armis defendere licet; unde *bellum defensivum* existit. Quae aliae bellorum caussae inter gentes liberas praeterea afferuntur, iustitiae nomine se minus tuentur.

OBSERV. II. Evidem sunt non pauci juris naturae et gentium interpretes, qui, praeter *recuperatorium* et *defensivum bellum*, etiam *punitivum* approbant, fasque esse ducunt, gentes liberas, earumque rectores, ab extraneis populis hominibusque, sibi haud subiectis, etiam ob alia delicta ius naturae violentia, belli iure poenas exigere. Sic enim, u. g. putant, οδωλολατρειας

L et

*et αὐθαποφαγίας*, morumque barbarorum causa, Americanos ab Hispanis iusto bello peti punirique potuisse. Verum de hoc ipso iure iam disputamus.

OBSERV. III. Ad expediendam hanc controvrsiam, expedit annotare, uocabulo *poenae* et *puniendi* non unam cunctaque subiectam esse notionem. *Poena* proprie dicta est *malum molestum, quod, ob malum actionis, ab imperante infligitur subiecto, qui deliquit, legesque violauit*. Minus proprie *poena* aliquando pro defensione et vindicta dicitur, quae etiam inter pares locum habet, ad iura nostra nostrorumque vindicanda, et ad iniuriam propulsandam. Hanc, non illam, inter gentes liberas locum habere, concedimus. Iam autem in defensione nulla proprie dicta est poena: neque haec a pari infligitur, nisi iudas uocabulo. Quamuis enim omnis poena dici etiam possit vindicta; non tamen omnis vindicta est poena; cum par contra parem se vindicare, non autem par parem proprie punire, dicatur: vid. GE. BEYER, *Delineas. I. N. cap. XXXI, s. 7. sequ.* Non adeo una gens libera alteram punire potest, et si se et suos defendere, laudentemque ad satisfactionem cogere, possit. Quamquam autem Iudei, singulari mandato DEI instructi, legantur olim gentes quasdam ob *idolatriam excidiisse*; perinde tamen altis populis, qui non pari iussu obstringuntur, haud licet hoc illorum exemplum sequi; ac non licet ab aliis gentibus aurum et argentum sumere mutuum, idque non reddere; etiam si constet, Iudeos ex pracepto diuino recte potuisse Aegyptios uasis aureis et argenteis spoliare.

#### PROBATOR:

I. Quia ius infligendae poenae non est nisi consequens atque effectus imperii et potestatis legislatoriae; neque adeo aliquis per se ius puniendi habet, nisi habest imperium in alios et potestatem leges ferendi, ac secundum leges iudicandi,

candi, rationemque a delinquentibus exigendi. Iam autem huiusmodi facultas legislatoria et punitiva, in statu quidem ciuili, competit legitime imperantibus, aut iis, quibus imperantes idem ius delegarunt: in statu autem naturali, et inter populos liberos, nullis competit aliis hominibus; quia ibi omnes sibi sunt pares, neque ibidem *ius rectorium* datur, sed saltem *aequatorium*.

II. Quia, uti non omnis ιξωξη et maior virtus nobis dat iustam caussam imperandi aliis; (quod iam alibi comprobavimus;) ita nec eadem affert iustam caussam alios male agentes nobisque peiores puniendi, belloque opprimendi, quandiu hi nos nostrosque non laedunt.

III. Quia, si iis omnibus, qui paria non deliquerunt, nec qui se aliis meliores praestantioresque censerent, facultas puniendi debellandique ceteros esset, non nisi infinitis humanae societatis turbis occasio daretur. Quotus quisque enim, ex insita illa *φιλαυτίᾳ*, se non aliis meliorem, suasque uiuendi rationes rectiores, esse putaret? Imo, sic Princeps christianus et uere pius numquam ab armis cessare posset; cum in orbe terrarum non solum semper paganae gentes superercent, quas, ob *idolatriam*, aliqua grauia peccata, bello posset punire: sed etiam inter ipsos christianos populos, eorumque Imperantes, grauia delicta occurrerent punienda. Quae absurdia inde sequerentur, bene animaduertit IOSEPHVS a COSTA, *de procuranda Indorum salute*, Libr. II, cap. 5. *Quod si magistratus, inquit, aut Respublica barbarorum, suo muneri non facit satis, habet indicem DEVVM, non Rempublicam, aut Principem externum.* Alioquin, cum grauissime peccent interdum Principes aut Magistratus nostri, licebit uel Gallo, uel Italo, uel Anglo, Hispanensis Respublicae peccata castigare, et ius dicere,

L a dicere,

*dicere, ut sicissim inter se Principes bac auctoritate fungantur: quo neque ineptius, neque rebus humanis exitiatus, quicquam dici potest.*

**CONSENTIVNT: VASQVIUS**, illustr. *Controuersiarum Libr. I, cap. XLIII. FRANCISC. de VICTORIA, Relectione V de Indis noniter inuenitis. p. 375; CONRINGIUS, Epistol. LIII, ubi inter alia sic differit: Non ferenda est illa quorundam persuasio, quasi iusta promiscue sint Christianorum arma, in quosuis a christiana fide prorsus alienos, siue non nihil exorbitantes. Non minus profecto descendenda haec est opinio, atque illa ex aduerso Muhammadanorum, in alia sentientes quosuis, aut veterum Graecorum, in omnes, quos barbaros vocabant, tanquam illi natura essent serui, praetensa bellandi licentia. PUFENDORFIVS, de IVRE NAT. et GENT. Libr. VIII, cap. III, §. 7. OSIANDE, in Annotat. ad Grotium de Iure B. et P. pag. 407; pag. 1172, et 1223. ZIEGLERVS, in notis ad eundem Grotium, p. 468, et 476. ZENTGRAVIVS, de origine Iuris Gentium, pag. 157, sequ. BECMANVS, in Meditat. Polit. Cap. XXIII, §. 7: et Parallelis politic. cap. XXII, §. 7. HERTIVS, in dis fert. de socialitate, primo Iuris Nat. principio, Sect. III, §. 25. D. BOEHMERVS, in Introduct. ad Ius publ. uniuersale, pag. 526. D. D. IO. SCHMIDIUS, in Disput. de bello punitione. HOCHSTETTERVS, de Iure Poenarum, Sect. II, §. 2.*

**DISSENTIVNT: GROTIUS**, de Iure Belli et Pacis, Libr. II, cap. XX, §. 3 et 40. VERVLAMIUS, de bello sacro, pag. 1310, in operibus. ZOVCHAEVS, de Iure faciali, P. II, Sect. VII, Quaest. I. HVGO de ROY, de eo, quod iustum est, Libr. I, Tit. VI, §. 3. THOMAS CAMPANELLA, de Monarchia Hispanica, cap. VI. VLR. HVBERVS, de Iure ciuitatis, Libr. II, Sect. VI, cap. I, §. 7 et 8. LOCKE, *Traité sur le gouvernement ciuil*, c. I, §. 4. et Cap. II, §. 7. DVRRIVS, in *Compendio Theol. moral.*

*moral. cap. XII, §. IX. GRASVINCHELVS, in stricturis ad Grotium de I. B. et P. Libr. II, cap. XX. §. 3 et 40. HENNGES et TESMARVS, in notis ad eundem locum Grotii. BARBEYRAC, in notis Gall. ad Puf. de I. N. et G. Libr. VIII, cap. III, §. 4.*

## PROBLEMA XXVII.

**N**ec fas fuit, christianaee religionis propagandae caussa, Americanos bello prosequi.

E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Cum Hispani sub initium saeculi decimi sexti magnam Americae partem occupassent, incolasque illos parum humaniter habuisse dicerentur; aliquot extitere scriptores, qui eas res gestas etiam hoc nomine defenderent, quod uel solius christianaee religionis propagandae caussa hominibus barbaris et idololatris iusta arma inferre, eosque terris bonisque suis spoliare, licuerit. Quorum adeo sententiae problema nostrum opponitur.

OBSERV. II. Interim aliquando distinguendum esse censemus inter *defensionem armatam eius, qui religionis caussa inuaditur; et inter propagationem religionis armatam:* illam posse esse licitam, aliunde iam constat; (uid. RECHENBERGII *Disput. de religione armis defensa.*) hanc uero minus probamus.

PROBATVR:

- I. Quia caussae iustae, quae alias ius dant ad arma legitima sumenda, et ad terras aliorum vi bellica inuadendas, hic defuerunt. Neque enim Americani antea iniuriam intulerant Hispanis, unde ulciscendi ius nasceretur; neque, ob diuersam religionem, ius Europaeorum laeserant.
- II. Quia, quamuis barbarae illae gentes diuino iudicio peruersae religionis uitacque sua rationes reddere deberent;

L 3

non

non tamen hinc terrarum suarum dominio, et societatis humanae iure, ita exciderant, ut alii, iniuriis nullis lacerfici, pacem earum externam ultro turbare recte possent.

**III.** Quia modus religionis per arma propagandae, et belli, et religionis ipsius, naturae repugnat. Bellum quidem tanquam extraordinarium *medium* et subsidium externae pacis tuendae *DEVS* humano generi permisit, quo turbatores tranquillitatis reprimantur: tantum tamen abest, ut uis bellica instillet commendetque animis hominum religionis ueritatem; ut potius obstinatos aut hypocritas efficere possit. Neque certe idoneum uerae religionis argumentum est, armorum uiribus praeualere, aliosque posse supprimere. Religio autem, quae uero de *DEO* sensu, et uoluntario retoque eius cultu, continetur, eius est naturae, ut ad eam amplectendam non inuiti armis debeant cogi, sed uoluntarii doctrina et institutione remedisque *spiritualibus* induci. Recte enim *TERTULLIANVS*, *Liber. II ad Scapulam*: *Non religionis (uerae) est, cogere religionem; quae sponte suscipi debet, non ui; cum et hostiae ab animo libenti excipiuntur.* Et *LACTANTIUS*, *de Iustit. cap XVIII*: *Non est opus ui et iniuria; quia religio cogi non potest.* Verbis potius, quam uerberibus, res est agenda, ut sit uoluntas. Et mox: *Longe diuersa sunt, carnificina et pietas: non potest aut ueritas cum ui, aut iustitia cum crudelitate, coniungi.* — — *Nihil tam uoluntarium est, quam religio; in qua si animus auersus est, iam sublata, iam nulla est.* Sapienter et Regina Angliae, *ELISABETHA*, apud Cambdenum: *Religio uera, inquit, non armis cruentis, sed spiritu lenitatis et mansuetudinis, est propaganda.*

**IV.** Quia, si studium propagandae religionis iustam bellum causam daret; tunc omnes gentes e persuasione suae religionis ita damnaturae essent alias gentes, bellisque replendus esset totus

totus terrarum orbis; utiloquitor OSIAN DER, in *Annot.*  
ad Grotii I. B. et P. pag. 1172.

- V. Quia ille modus propagandae religionis aduersatur *ordinationi diuinae*, secundum quam, 2 Cor. X, u. 4, *arma militiae nostrae (in regno DEI) non carnalia sunt, sed spiritalia*: Et quia, ex CHRISTI institutione, Euangelium praedicandum est, annunciendo pacem, non indicendo bellum.
- VI. Quia illa ipsa violenta tradendae religionis christiana ratione repugnat, veteris Ecclesiae, imo ipsius CHRISTI, eiusque Apostolorum, exemplis; utpote qui non ferro et flamma, sed doctrina et institutione, religionem christianam constituerunt atque propagarunt. Sic bene PERPINIANVS, Orat. XVI de uer. relig. retinenda: Ego, inquit, neque CHRISTVM, vindicem generis humani, neque Apostolos in omnes partes ab illo dimissos, neque et Apostolorum successores, armis aut fundasse, aut propagasse, video, quam posteritati tradiderunt, religionis disciplinam. — — Non armis, sed animis; non feriendo, sed ferendo; non occidendo, sed moriendo, dimicarunt.

CONSENTIVNT: AZORIVS, s. l. *Institut. moral.* P. I, Libr. VIII. cap. 24, pag. 1028. FRANC. de VICTORIA, *Relect. moral.* V, de Indis nouiter inuentis. JOSEPHVS a COSTA, de procuranda Indorum salute. ANGELVS MARIA VERICELLVS, de Apostolicis Missionibus; cuius argumenta recenset ZIMMERMANNVS, in *Analectis menstruis*, Mense IV, pag. 176. ALBERICVS GENTILIS, de Iure Belli et Pacis, Libr. II, cap. XX, §. 48. RITTERSHVSIVS, in *Commentar. ad Epistolas Plinii et Traiani*, pag. 351, seqq. PVFENDORFIVS, de batibutre religionis christiana ad uitam ciuilem, §. 49, seqq. ZIEGLERVS, de iur. Maiest. Libr. I, cap. 16. HIER. KROMAYER, in

in *Theologia positivo-polemica*, pag. 1125, et longe plures Theologi ac Iurisconsulti.

DISSENTIVNT: SCOTVS, in 4 *Distinct.* 4, q. ult. BACO de VERVLAMIO, *de Bello sacro*, opp. pag. 1304. SEPVLVEDA, Hispanus, *de causis iusti contra Indos belli*. ALPHONSY CASTRENSIS, ALVARVS PELAGIVS, et alii, quos commemorat Azorius. l. c.

### PROBLEMA XXVIII.

*An denegatio transitus per alienum territorium per alienum territorium fit iusta belli causa?*

D<sup>e</sup>negratio transitus per alienum territorium, non est iusta belli causa.

E K Θ E S I S.

OBSERV. I. Saepe, non solum inter eruditos, sed etiam inter ipsas gentes liberas, earumque moderatores, disceptatum est, an transitus exercitus merciumque per alienum territorium terra mariue negari potentibus possit sine iniusticiae nota; et annon, si negetur, armis iuste vindicari queat? Sunt non pauca eorum exempla, qui huiusmodi transitum, cum ultiro, uel precibus, impetrare nequierint, armis, ut-putarunt, iustis petere atque vindicare absunt sunt. Sic Amyntorem, Orchomeni Regem, ob negatum transitum, interfecit Hercules, referente Apollodoro. Eadem ob caussam Alexander bellum intulit Tyriis, docente Curtio. Apud Xenophontem, *de expeditione Cyri*, Libro III, haec legimus: *Decreuimus per hanc regionem quam pacissime iter domum facere, si per alias liceat.* Sin quis iter impeditat, cum pro viribus fortiter bello petemus. Bataui, apud Tacitum, *Liber. IV Histor.* Bononiensibus denuntiarunt: *Si nemo obstat, se innoxium iter per eorum terras facturos; sin armati occurrant, ferro viam inuenturos.* Agesilaus ex Asia reuersus, memorante Plutarcho, cum a Rege Macedonum transitum postulasset,

stulasset, atque is consulturum se dixisset : *Consultet, inquit; nos interea transibimus.* Fridericus I, Imperator, in Palaestinam cum exercitu iturus, negata a Bulgaris regia via, eam ui obtinuit, *magnaque resistentium multitudine occisa, non paucos ex iis captos ex utraque parte viae ramis arborum illaqueatos suspendit*: prout rem narrat Otto de S. Blasio, pag. 213. Ferdinandus, Rex Hispaniarum, (quod Thuanus refert ad A. 1505.) Iohannem Labretanum, Nauarrai Regem, bello aggressus est, ob transitum denegatum. Gustaus Adolphus, Suecorum Rex, Pomeranorum Principis Legatis, transitum deprecantibus, A. 1630, respondit, apud Chemniz: *de Bello Sueco- Germ. Vol. I,* pag. 11, *inoxium transitum apud omnes gentes semper fuisse liberum; eiusque denegationem, diuino humanoque iure, iustissimam bellum caussam haberet.* Conf. et Pufendorfius, *Libr. VII rer. Brandenburgic. s. 5, ad A. 1658.* Et quot non alia huius generis exempla occurruerunt? Conf. Grotius, *de I. B. et P. Libr. II, cap. II, §. 13,* et eius interpres.

**O B S E R V . II.** Dum uero affirmamus, transitum per alienum territorium desiderantibus citra iniuriae notam posse denerari; loquimur de iure stricte sic dicto. Aliud suadent non nunquam regulae humanitatis; ut, quamvis eiusmodi transitus iure prohiberi possit, concedatur tamen liberaliter, nisi cum nostra nostrorumque pernicie sit coniunctus. Nec minus et prudentiae leges satius aliquando esse ostendunt, sub quibus fieri possit cautionibus, permittere transitum, aut, secundum illud exemplum, quod memorat Pufendorfius, *Libr. V rerum Brandenburg. s. 13,* tentatum dissimulare; quam, ubi vires defuerint prohibendi, violenter prohibere uelle. Tunc uero, qui transitum sic impletant, concessam facultatem, non iuris debiti, sed beneficii, loco habere debent.

**O B S E R V . III.** Si quando uero facultas transeundi per alienas terras pacto et conventione est constituta; tum non sine

M.

laesione et iusta belli caussa denegatur. Sic enim uiolaretur ius perfectum, idque pactione acquisitum, quod quin armis iustis vindicari possit, uix dubium est. Atque ita, exempli caussa, A. 1656, foedere Regiomontano Elector Brandenburgicus liberum per Prussiam transitum Regi Sueciae concessit, eiusque hostibus denegauit. Denique, sicut alias ineuitabilis necessitas aliquando indulget, per uim exigere, quod saltem ex humanitate et benignitate debetur: ita concedimus, sicuti gens, transitum per alienum territorium petens, aliter nullo modo seruari possit, neque inde nobis aequa certum magnumque damnum nascatur, eam inhumaniter repellere; dummodo eiusmodi necessitas non fingatur potius, quam reuera existat.

PROBATOR:

- I. Quia natura et efficacia dominii nobis ius concedit de rebus nostris libere disponendi, et ab earum usu alios iuste arcendi, a quibus in primis onera et pericula sunt metuenda. Iam autem, si is, qui utitur iure suo, nemini censetur facere iniuriam; neque hic eos laedere, iisdemque iustum bellum caussam dare, censendus est, quibus quis non aliunde obligatus transitum per suum territorium concedere nolit. Tertio enim nullum ius est in meo, me inuito, quicquam uel postulandi, uel exigendi; et ius in meo propter alterius commoda uel incommoda non tollitur. Inanis enim foret earum rerum possessio, quae, quoties aliis profint, his etiam cum periculi metu communes, id est, non amplius nobis propriae, tranquilleque sint possidenda. Praeterea recte ZIEGLERVS, in *notis ad Grotium*, p. 233: *Seruile hoc est, inquit, et libero quouis homine indignum, ab altero ad iniurias nudari, et ineuitabili necessitate cogi, ut metuas.*
- II. Quia solius humanitatis benignitatisque officium est, aliis rerum nostrarum usum, adeoque et transitum per terras nostras, permittere. Iam autem iniustum est, et contra naturam

naturam officiorum humanitatis ac beneficentiae, ea, extra casum summae necessitatis, ui exigere, et, ubi denegentur, armis vindicare. *Quae enim ex humanitate debentur, non ita debentur, ut extorquere ea licet.* Neque officium humanitatis eo est extendendum, ut dominii nostri ius inde periclitetur; ac, si alias prudentia et aequitas suadet, ne beneficiando nobis ipsis iniurii fiamus, ubi benignitas nobis nostrisque obest, et beneficium praestantibus est noxiū: ita et in illis solennibus gentium officiis cauendum est, ne inconsulta noceat humanitas.

**CONSENTIVNT:** GRONOVIVS, in *notis ad Grotium de Iure B. et P. Libr. II, cap. II, §. 13.* OSIANDER, in *Observat. ad Grot. de I. B. et P. pag. 677.* HENNIGES, ad eundem Grotium, pag. 377. STRAVCHIUS, de *Imperio maris, cap. VIII, §. 2.* Dn. THOMASIVS, in *Iurisprud. diuin. Libr. II, cap. VI, §. 35.* Dn. GVNDLINGIVS, in *Via ad Iurisprud. natur. cap. VIII, §. 23, pag. 74.* Dn. GRIEBNERVS, in *Principiis Iurisprud. natur. Libr. III, cap 4, §. 5.* IAC. FRID. LUDOVICI, in *Doctrina Iuris naturae iuridice considerata, pag. 47.* ZENTGRAVIVS, *disquis. de origine et ueritate Iuris Gentium, Artic. IX, §. 25, pag. 367.* HOCHSTETTERVS, in *Collegio Pufendorfiano, pag. 265.* Disputatio Kazaueriana de *denegato Israëlitis transitu per terram Edomaeorum.*

**DISSENTIVNT:** GROTIUS, de *Iure Belli et Pacis, Libr. II, cap. II, §. 13.* OBRECHTVS, in *Observat. ad Grotium, pag. 1085.* TEXTOR, in *Synopsi Iuris Gent. cap. XVII. §. 37.* KVLPISIVS, in *Collegio Grotiano, Exercitac. III, §. 6.* HERTIVS, *Opuscul. Vol. II, Tom. III, dissert. de seruitute naturaliter constituta inter diuersos populos, etc. Sect. I, §. 6, seqq.* HOMBERGK zu Bach / in *Hypomnemata. Iuris Gent. pag. 57.* Ab aliis citantur etiam: ZOLLIVS de *transitu innoxio; et ADRIAN. BEYER: an et quatenus transitus pro exercitu per territorium alterius postulari et denegari possit? etc.*

M 2

PRO-

## PROBLEMA XXVIII.

*An ius stapulae et uectigalium non repugnat iuri naturae et gentium, neque, si exigatur, aliis populis iustum praebet belli caussam?*

Ius *stapulae* et *uetigalium* non repugnat iuri naturae et gentium, neque, si exigatur, aliis populis iustum praebet belli caussam.

E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Iam diu inter multas gentes usū receptum est, ut is, qui habet imperium, a mercibus per territorium suum transeuntibus, terra, aut amne, aut freto, *uetigalia* exigat, aut ius *stapulae* constituat, *ut* cuius exteri, qui merces ad alium populum transportare volunt, eas illo loco, per quem transeunt, sistere, et uenum exponere, necesse habeant. Sic, cum tus euehi non posset, nisi per Gebanitas, sive Catabanitas; horum Regi oportebat pendi *uetigal*; referente Plinio, *Libr. XII Hist. natur. cap. 14*. Demosthenes, *Philipp. IV*, commemorat, *uetigalia* Atheniensium ad centum et triginta talenta euasisse. Strabo, *Libr. IV*, refert, Asiaticis Italicisque mercatoribus gratissimum fuisse, omisso ad Maleam cursu, Corinthum diuertere, ad uectigalibus; ubi et importatarum et exportatarum e Peloponneso rerum *uetigalia* pendi oportuerit. At, A. 1596, constitutum erat in foedere Gallorum et Belgarum, *Naves in prætervectione aut appulsu resentare, onus ut exponatur, uenunque eas subigere quemquam, ne liceret*. Vid. Grotius, *Libr. V Hist. Belg. ad d. a.* Similiter, cum in quibusdam Angliae et Galliae portibus mōs obtineret, ut singuli tributum quoddam pro ingressu et egressu suo soluerent; inter *Regem Galliac*, et *Protectorem Angliae*, Cromwellum, A. 1655 conuenit, ne in posterum dictum tributum exigeretur. Supersedemus alia pristini recentisque aeuī exempla excitare.

OBSERV. II. Alia igitur res est, si immunitas a *uetigalibus*, aut non nisi certa et mitiora *uetigalia* exigendi ius, cum certis populis per pacta et conuentiones fuerit constitutum; tunc pacta sine

sine grauiore laesione non possunt uiolari. Sic querebantur Britanni, apud Cambdenum, in *Histor. Elisabethae*, P. I, p. 82: *Transitum per Belgicas provincias cum equis, nitro, puluere tormentario, ex Italia et Germania prohiberi; grauissima uectigalia, nec prius audita, pro cibaris, anchoris, etc. rigidissime exigi; et haec omnia contra foedus Commercii ( Intercursum magnum uocant ) olim initum.*

OBSERV. III. Quamvis autem maxime, salua aequitate, fieri possit, ut pro hominum merciumque transitu, non nisi eiusmodi uectigalia exigantur, quae faciunt ad leuanda onera, h. e. ad refectionem et securitatem viarum, pontium, fluuiorum, et marium, similesque sumptus, qui faciendi sunt ab eo, qui in locis illis, per quae transitus fit, imperium habet; non tamen iniustum est, etiam cessantibus eius generis rationibus, a transeuntibus requiri uectigal: cum tunc, nisi alia obstant pacta, uerum dominii titulum allegare sufficiat; cumque satis sit, uti DN. GVNDLINGIVS loquitur, transeuntes et praeternauigantes, illo territorio fretoque uti, cuius firmare aditum facile liceret. Atque adeo mera humanitas erat, cum Carolus M. in *Capitul. Lib. III. cap. 12.*, telonium in fluminibus uetaret exigi, in quibus nullum adiutorium praestaretur itinerantibus.

OBSERV. IIII. Etsi ergo non fas est, simplicem uectigalis exactionem bello ulcisci; tamen par pari referre licet; hoc est, licet utique ab iisdem populis, qui per suum dominium non gratis permittunt transitum, ubi per alterius territorium transeant, itidem uectigal tributumue postulare. Verum hoc ius uectigalium exigendorum omnino moderari debet prudentia politica, si nolimus, ut commerciorum usus prorsus sufflaminetur.

#### PROBATVR:

- I. Quia, uti iam supra diximus, ea natura et uis est ueri dominii, ut de rebus nostris libere disponere, aliosque ad earundem usum pro arbitrio admittere, possimus. Iam autem, si liberi

M 3

populi

populi aliis populis eorumque mercibus transitum citra iniuriam plane denegare possunt; possunt etiam eundem sub certis conditionibus alicuius oneris uectigalisque recte permittere. Neque enim eo extendenda est libertas commerciorum, ut aliorum inuitorum iura minuat, aut peruerat.

**II.** Quia imperanti haud uitio uertendum est, qui commoditate ditionis suae rite utatur, ac postulet, ut Reipublicae suae aliquid emolumenti accedat ex iis commodis, quae exteri ex usu rerum iuriumue illius captant. Neque ptaeterea iniquuum iniustumque haberi debet, pro gratis officiis praestandis, iuribusque concedendis, mutua quaedam officia atque iura sibi pacisci, et ab altero exigere: nec, qui desiderat, ut commodis suis indulgeamus, nostris decore honesteque aduersari potest

CONSENTIVNT: illuſtr. GVNDLINGIVS, *in via ad ueritatem Iurisprud. nat. cap. XXXV, §. 214.* BARBEYRAC *ad Pufend. de I. N. et G. Libr. III, cap. III, §. 7.* FLEISCHERVS, *in Institut. Iuris N. et G. Libr. II, cap. V 1, §. 29.* IAC. GABR. VVOLFIVS, *in Instit. Iurisprud. natural. P. II, Sect. I, cap IV, §. 8.*

DISSENTIVNT: VVIGELIANI, qui, annotante OSIANDRO *ad Grotium de I. B. et P. pag. 684,* plane negant, iustum esse, accipere uectigal; atque hoc quidem concedunt, subditum debere soluere uectigal et tributum; sed Magistratum non recte posse accipere. Huc pertinent et illi, qui admittere quidem uidentur ius exigendi uectigalia, sed non nisi ad compensanda onera illa, quae Dominus territorii, per quod homines mercesque transeunt, sustinere debet: u. g. GROTIVS, *de Iure B. et P. Libr. II, cap. II, §. 14.* TESMARVS, *ad citatum GROTH locum.* VITRIARIVS, *in Institut. I. N. et G. Libr. II, cap. II, §. 35.* KLOCKIVS, *de Contribut. cap. III, n. 123.* PVFENDORFIVS, *de Iure N. et G. Libr. III, cap. III, §. 7.* HERTIVS, *in notis ad Pufendorfium, pag. 323.* et in diff. de seruitute naturali, *Sect. I, §. 15. Vol. II Opusc. T. III, p. 128.*

PRO-

## PROBLEMA XXX.

**M**atrimonium negatum caussam iustum bello non praebet.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. I. Non raro arma mota fuisse legimus, ob matrimonium pertentibus denegatum. Sic Cambyses, Rex Persarum, Amasi Aegyptio bellum intulit, ob denegatas filiae nuptias, teste Herodoto, Lib. III, cap. I. Item Darius, Rex Persarum, Ianucrum, Regem Scytharum, armis aggressus est, cum filiae eius nuptias non obtinuerat, commemorante Iustino, Lib. II, cap. 5. Non minus Demetrius Ariarathi, Regi Cappadociae, propter fastiditas sororis nuptias infestus, fratrem eius Orofernem, per iniuriam regno pulsum, supplicem recepit, datumque sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere eum in regnum statuit, referente eodem Iustino, Lib. XXXV. cap. I. Atque apud Cranzium, Libr. I Dan. cap. 7, haec leguntur: *Suibdagerus, Rex Noruagiae, Regis Danorum filiam, a patre diu negatam, sed iam bello quaesitam, cum regno accepit uxorem.* Quis uero omnia eius generis exempla colligat?

OBSERV. II. Loquimur autem de simplici et modesta matrimonii recusatione ac negatione; non de tali, quae aliis pactis repugnat, aut cum expressa uerborum contumelia est coniuncta. Sic, memorante Apollodoro, Libr. II, cap. 6, Hercules, uxorem ducturus, audierat, Eurytum, Oechaliae Regem, qui sagittandi peritia se ac filios suos uicerit, certaminis praemium, Ioles filiae connubium proposuisse: Oechalam igitur profectus, cum sagittandi arte iis omnibus praestantior extitisset, uxorem tamen, tanquam promissum certaminis praemium, minime consecutus, hanc iniuriam postea grauissime vindicauit. Neque sine acerba contumelia Regini Dionysio, Syracusorum Principi, uirginem quandam per legatos sibi nuptum petenti responderant, se nullam, praeter lictoris filiam, ipsi concessuros esse. Quam ignominiam ille grauiter ferens,

An matrimonium negatum caussam iustum bello praebeat?

ferens, atrocique se iniuria affectum ratus, ad vindictam extendam omne studium contulit. Vid. Diodorus Siculus, *Liber. XIV*, pag. 317.

P R O B A T U R :

- I. **Quia matrimonia nituntur consensu et amore mutuo.** Sicut ergo hic liber esse debet, nullique coactioni subiectus; ita durum iniustum foret, hanc libertatem aliis inuitis extorquere uelle, aut id, quod ex uera benevolentia animique propensione profici sci debet, ui acquirere, ac, si modeste negetur, armis vindicare; cum praegnans causa occurrere possit, cur eiusmodi coniunctio denegetur.
- II. **Quia, uti ad alia humanitatis officia, ita ad amicitiam, amoremue coniugalem,** ante pacta nullum ius proprium nobis competit; sed tantum facultas petendi. Cuiusmodi petitioni si locus non fuerit relictus, de iniuria queri non possumus. Neque enim in beneficio negatione ulla proprie dicta est iniuria; in primis si quis illud a nobis petit, quod sine molestia nostra, aut incommmodo, concedi nequit. Bene adeo differit Grotius, de Iure B. et P. Libr. II, cap. XXII, §. 16: *Si quis quid debet, non ex iustitia propria, sed ex uirtute alia, puta liberalitate, gratia, misericordia, dilectione, id, sicut in foro exigi non potest, ita nec armis depositi.* Nam ad utrumque horum non sufficit, ut id, quod postulatur, sit ex moralitate (ex uirtute) faciendum; sed praeterea opus est, ut in nobis ius quoddam existat ad illud. etc.

**CONSENTIVNT:** TRXTOR, in *Synopsi Iuris Gentium*, cap. IV, n. 2, 3. OSIANDER, in *Annotat. ad Grotium*, pag. 688. DN. THOMASIVS, in *Iurisprud. diuin. Libr. II*, cap. VI, §. 45. DN. GVNDLINGIVS, in *uia ad ueritatem Iurisprud. natur. Cap. VIII*, §. 23.

**DISSENTIVNT:** CQQVAEVIS, in *Comment. ad Augustinum, de Civitate DEI*, Libr. II, cap. 27. ALBERICVS GENTILIS, in *armis Romanorum*, Libr. II, cap. I; qui raptum Sabinarum nimis liberaliter defendit et laudat. Huc pertinent ii omnes, qui facto exemptione suo nuptias sibi denegatas armis vindicandas docuerunt.



## PROBLEMA XXXL

Praerogatiuae ac *praecedentiae* liberarum gentium inter se, nullum certius fundatum est, quam pacta de mutuo honore inita.

*Quodnam  
fir uerum  
fundamen-  
tum praee-  
dentiae libe-  
rarum gen-  
tium?*

## E K O E S I Σ.

Vt priuati homines, ita et integræ gentes, earumque principes, saepe de honore et praerogatiua, inter se contendunt. Vnde non raro deliberationes de re publica sufflaminari, et ipsa bella existere, uideas. Quibus uero fundamentis uerum perfectumque ius nitatur praerogatiuam quandam certosque honores sibi vindicandi, varie disceptatur. Bene obseruauit Pufendorfius, de officio H. et C. Libr. II, cap. XIV, inter Principes et integras Populos pro eminentia et praecedentia solere allegari potissimum antiquitatem regni et familiae, amplitudinem et opulentiam ditionum, et potentiam, ac qualitatem potestatis, qua quis imperium in suo regno obtineat, itemque splendorem tisuli; idem tamen et recte negavit, haec omnia per se parere ius perfectum ad praerogatiuam et praecedentiam aduersus alios Principes Populosque sibi afferendam. Et quamquam facile concedamus, hiac occasionem existere posse praerogatiuae alicuius quaerendae; nec minus aliquando prudentiae esso, cedere aliis: ex solis tamen huiusmodi rationibus ueram iustamque causam cogendi alios ad certum honoris genus exhibendum repeti debere, utique negamus. Cum uero in hoc argumento probe sit secernendum, quid præcipiat *iustitia*; quid suadeat *prudentia*; quidque *humanitas* commendet; nos hoc loco potissimum de *iustitia*, siue regulis juris stricte dicti, loquimur. Sicut ergo in statu ciuili a uoluntate et decreto ciuitatis, eorumque, qui ciuitatem repræsentant; ita in statu naturali, non nisi a pacto, uerum perfectumque ius præcedendi aliis præcipuosque quosdam honores sibi arrògandi ar-

N

cessen-

cessendum esse, existimamus. Huc, exempli caussa, pertinent pacta de uelorum demissione, quam coram nauibus bellicis Regis Galliae exhibere, A. 1653 promiserant *Civitates Hanseaticae*: ad quam et *Hollandi*, ui pacti, anno 1656 cum Daniae Rege initi, coram Regia arce Croneburgo, ad angustias freti Danici extorta, se obligarunt; quamque et coram omnibus nauibus Britanniae Regis, in omnibus maribus a *Capo finis terrae* usque ad *Staten Land* in Noruegia se facturos, solenni pacificatione A. 1674, declararunt. Eiusmodi contiouersiam inter Suecos et Brandenburgicos A. 1654 agitatam, cum Nauarchus Suecius e naui regia exire uoluisset, supremo uelo non demisso, commemorat Pufendorfius, *Liber. VIIIII rerum Brandenb.* §. 68. Conf. Hertius in *dissert. de Seruitute naturaliter constituta*; item, *ZENTGRAVIVS*, *de Origine, ueritate et obligat. Iuris Genc. Artic. VII*, §. 10.

PROBATVR:

- I. Quia, uti gentes, quae ab aliis non dependent, sed uera libertate fruuntur, eo ipso sibi sunt *aequales*; ita inter eas nullum datur imperium, nulla per se praerogatiua, perfectumque ius, quod uocant, *praecedentiae*; aut uera facultas maiores honores ab aliis exigendi.
- II. Quia ius alicuius praerogatiuae debitique honoris per pacta et expressum tacitumue consensum a liberis populis in alios, salua in ceteris aequalitate, haud secus transferri potest, ac alia iura.
- III. Quia, quae argumenta alicuius praerogatiuae inter gentes liberas afferuntur, non sufficiunt ad perfectum quoddam ius constituendum. u. g. non diuersa forma regiminis; ut pote quae magis respicit rem publicam intra se, eiusque gubernationem, quam extra se, et respectu aliorum populum. Nec potentia maior, quae sine iure si quid ab aliis exigit, potius latrocini*ii* speciem induit. Nec antiquitas in

sc.

se efficit maiorem dignitatem; cum non notet, nisi tractum durationis, quae uili aequa ac praestanti rei possit esse communis. Nec denique splendor, aut modestia titulorum, ipsi rei aliquid addit, demittue. Ut iam alias eiusmodi rationes, maxime, quae non nisi superstitione quadam nuntiuntur, silentio praeteremus.

**CONSENTIANT:** PVFENDORFIUS, de Iure N. et C. Libr. VIII, cap. IIII, s. 15, seqq. et de Off. H. et C. Libr. II, cap. XIIII, s. 15. Dn. BOEHMERVS, in *Introduct. ad Ius publicum uniuersale*, P. Special. Lib. I, cap. III, s. 22. Dn. GVNDLINGIVS, in *Via ad ueritatem Iurispr. Natur.* cap. V, s. 7, seqq. Dn. HOFMANNVS, in *Dissert. de fundamento decidendi controuerfias de Praecedentia inter liberas gentes*, Lipsiae A. 1721 habita: ubi, CAP. I, multo plures recententur scriptores, qui de iure praeeminentiae et praecedentiae sunt commentati. GOTFRID. STIEVE, im *Europaischen Hoff - Ceremoniel.* etc.

**DISSENTIANT:** FERNANDVS VASQVIVS, in *Praef. Controversiarum illustrium*, num. 18, seqq. CAESARINVS FVRSTNERIVS, sive LEIBNITIVS, de iure suprematus, Cap. XXXIII, et XXXV; ubi tradit, pacta Principum de certis honoribus non ius dare; sed saltem iuris debiti declaratoria censi debere. Huc pertinent et quidam scriptores, qui sigillatim suorum Regum Principumque praerogatiuum scriptis defendere co[n]ati sunt; u. g. CAROLVS MOLINAEVS, de excellencia Regni et Coronae Franciae; IAC. ALEX. TENNEVRIUS, de Regis Christianissimi praerogatiuis; CHLFLETIVS, de ampulla Remensi, ad dirimentiam litem de praerogativa ordinis inter Reges: IAC. VALDESIVS, de dignitate Regum Regnorumque Hispaniae; IAC. HAVEL, de praecedentia Regum Franciae, Hispaniae, Angliae. IVARVS HERZHOLMIUS, de praecedenti regni Daniae. etc.

## PROBLEMA XXXII.

*An. quod ius quibusdam Populis promiscue concedatur, omnibus fit concedendum?*

**N**on illico pro iniuria habendum, armisque vindicandum est, si quis populus unius alterius populo illud ius in suo denegat, quod aliis externis promiscue concedit.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

Hoc problema potissimum opponitur Grotio, qui statuit, ex *suppositione* ius commune nasci ad actus, quos populus aliquis externis promiscue permittat. Quam sententiam huiusmodi exemplis ipse illustrat, *Libr. II de I. B. et P. cap. II.* Si externis, inquit, alscubi uenari, pescari, aucupari, margaritas legere, licet; si ex testamento capere, si res uendere, si etiam extra perniciem feminarum coniugia contrahere; uni populo id negari non potest, nisi delictum praecesserit. etc. Ex quo fundamento Theodorus Ioannides, Mulcorum Imperator, A. 1583, monopolium denegabat Anglis, apud Cambdenum. Iniquum, inquietabat, est, aliis permittere, alios inhibere. Principibus ius aequale est conservandum, et commercium, quod iure gentium omnibus commune esse debet, non in monopolium et priuatum paucorum quaesum conuertendum.

## PROBATORIUM.

- I. **Quis**, ubi verum est dominium, ibi ex iure proprietatis nobis facultas de rebus nostris libere disponendi, et alios excludendi, conceditur, nisi per pacta aliter fuerit conuentum. Qui autem pro lubitu utitur iure suo, etiam exclusis aliis, nemini facit iniuriam.
- II. **Quia** exclusio unius et alterius non semper ex contentu et ignomina; sed ex aliis aliquando praequantibus causis, fieri potest.

poteſt. Non eadem enim eſt omnium exterorum ratio : cum alii noti, alii ignoti; alii certae, alii dubiae eſſe poſſint amicitiae; alii commoſis noſtris plus minusue obſuturi. Praeterea non eadem eſt omnium rerum ratio , ut cum omnibus aequē utiliter poſſint communicari.

III. Quia circa ea, quae nemini perfecte debemus, liberaſ-ribus ſane aduersus unum, quam alterum, nobis eſſe li- cet ; adeoque nec iniustum eſt, alteri ea denegare, ad quae petenda ius non habet perfectum. Quid uero inter- eft eius, quem iure prohibere poſſum, ſi alios admitta- mus?

**CONSENTIVNT:** LUDOVICVS MOLINA, de Iuſtit. et iure, Tr. II diſput. 145. OSIANDER, in obſeruat. ad Grotium, pag. 689. ZIEGLERVS, in notis ad Grotium, pag. 239, et 241. BOECLERVS, ad Grotium, P. II, p. 89. PVFENDORFIUS, de Iure Nat. et Gent. Libr. III, cap. III, §. 14. ZENTGRA- VIVS, diſquis. de origine et ueritate Iuris Gentium, Art. I, §. 48. VITRIARIUS, Institut. Iuris N. et G. Libr. II, cap. II, §. 47. HENNIGES, ad Grotium, pag. 383.

**DISSENTIVNT:** GROTIUS, de Iure B. et P. Libr. II, cap. II, §. 22. OBRCHTVS, in notis ad eundem locum. KVLPSIUS, in Collegio Grotiano, Exercit. III, §. 8. FRANC. AVICTORIA, relect. V, Sect. 3, propos. 2.

### PROBLEMA XXXIII.

**M**ONOPOLIA non aduersantur Iuri naturae et Gentium.

#### E K O E S I S.

OBSERV. I. Monopolium eft, quando unus, uel pauci, ex composito ius emendaſe uendendaue mercis ad ſeſe redigunt. Quod fieri poſteſt, et in ſtatu ciuili, ubi a ſumma poſteſtate id

N 3

ius

As monop-  
polia pu-  
blicent eam  
Iure N.  
et G.

ius certis tantum ciuibus conceditur; et in statu naturali, inter gentes liberas; quando populus, cui peculiari mercis est copia, cum altero populo paciscitur, se huic soli, neque aliis, id genus mercium uenditurum. Quamquam uero in utroque statu monopolia licita esse posse statuamus; iam tamen potissimum de statu naturali, et de monopolis inter populos liberos aliquando usitatis, loquimur. Grotius, *Libr. II de Iure B. et P. cap. II, s. 23*: *Quaeſitum memini, inquit, an populo alicui licet cum alio populo pacisci, ut is populus certi generis fructus, qui alibi non nascuntur, sibi soli uendat?* Cuiusmodi monopolii, ne uetus iam exempla repetam, facultatem et priuilegiam, teste Cambdeno, l. c. Elisabetha pro Moscouitica Anglorum societate a Theodoro Mosco petiit, ut scilicet nulli, praeter Anglos ex illa societate ad septentrionalia Russiae littora appellerent, et mercaturam exercerent; quanquam Germani aliique populi de illo monopolio non parum quererentur. Sic Chytraeus commemorat, Lubecenses quondam et Dantiscanos a Gustavo, Suecorum Rege, foedere obtinuisse, ne ulli alteri ex peregrinis nationibus mercaturam in emporiis Succine exercere, nisi sibi, liceret.

OBSERV. II. Grotius tunc deumonum monopolia inter gentes liberas licita esse posse tradit, si is, qui emit, populus paratus sit aliis uendere aequo pretio. Nos uero eiusmodi conditionem superuacuam ac non necessariam esse, aut certe etiam siue ea monopolia talia iuri naturae haud repugnare, censemus. Interim et in hac controversia diiudicanda regulas *humanitatis* et *prudentiae* a regulis *iuris stricti* sic dicti distinguendas esse, ponimus.

#### PROBATVR:

I. Quia, uiri ueri dominii, a libera domini uoluntate dependet, quibus et qua conditione res quisque suas concedere, ac uendere, aut generatim quibuscum commercia exercere, uelit.

uelit. Atque adeo, sicuti exempli causa Neruii, (de quibus commemorat Julius Caesar, *Libr. II, de bello Gallico, cap. 15,*) nulli alii populo iniuriam fecisse censendi sunt, cum extraneis mercatoribus nullum ad se permitterent adiutum, et nihil uini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinientium inferri paterentur; ita neque contra ius naturae acturi, aliorumque populorum iura laesuri fuissent, si uel sibi solis terrae suae fructus mercesque seruare, uel non nisi uni certo populo, monopolii instar, uendere uoluissent.

**II.** Quia aliae gentes, quibus non pactis sumus obstricti, non nisi ius imperfectum habent merces fructusque terrae nostrae petendi. Sicuti ergo non laeduntur, si nos ipsi illis plane commercia nostra denegemus, resque nostras uendere nolimus: ita nec ceterae gentes dici possunt laedi, si unduntaxat commercii nostri libertas concedatur, etiam absque ea conditione et pactione, ut haec gens aliis gentibus merces a nobis emtas aequo pretio diuendat. Imperfectum autem ius esse aliis populis merces nostras petendi, uel inde patet, quod perfectum et plenum ius in rem nostram non nisi ex dominio nascitur, quod, ut diximus, liberam de rebus nostris disponendi facultatem nobis affert. Atque adeo ius imperfectum perfecto cedere, et, quae imperfecte debentur, etiam sine iniuria denegari potentibus posse, aliunde iam constat. Rationes ergo huius Problematis proxime cohaerent cum rationibus Problematum proxime antecedentium.

**CONSENTIVNT: PVFENDORFIUS, de Iure Nat. et Gens. *Libr. V, cap. V, §. 7. et Libr. IV, cap. V, §. Dn. GVNDLINGIUS, in via ad uerit. Iuris nat. cap. XXIII, §. 10. ZENTGRAVIUS, de origine et uerit. Iuris Gentium, Art. IX, §. 25. IAC. GABR. VVOLFIUS, Instit. Iurisprud. nat. P. II, §. I, cap. X, §. 40, pag. 284.***

DISSERN-

DISSENTIVNT : GROTIUS, *de Jure B. et P. Libr. II, cap. II,*  
*§. 18; et §. 24*, ubi conditionem superuacaneam addit. FRANC.  
 & VICTORIA, *Relect. V, S. 3.* DAVIDES MEVIVS, in *Nucleo Iuris  
 Nat. et Gent. Inspect. IV, §. 29.* FELDENVS, ad Grotium de  
*I. B. et P. Libr. II, cap. XII, §. 16*, ubi *monopolia naturaliter  
 esse iniusta* appellat.

### PROBLEMA XXXIIII.

An violenta  
 uitae no-  
 strae defen-  
 sio saltem  
 sit licita,  
 nec pra-  
 pta?

**V**iolenta uitae nostrae defensio non tantum  
 est licita, sed etiam iure naturae praec-  
 cepta.

#### E K Θ E Σ I Σ.

OBSERV. I. Iustam esse uitae nostrae defensionem eamque, si quidem nulla alio ratio supersit salutis expedienda, etiam cum laesione et caede iniusti inuasoris coniunctam, extra nostram controveriam positum est. At illud potissimum in disquisitionem uenit: utrum illa defensio duntaxat pertineat ad *leges permittentes Iuris na-*  
*surae*, adeoque merum *ius et facultatem defendendi* afferat, arbitrioque inuasi relinquit, num male hic interfici, an, ut uitam suam conseruet, interficere inuasorem uiolentum? An uero defensio *legibus praeccipientibus et obligantibus Iuris naturae* determinetur, sitque *officium*, quod sine uiolatione iuris naturalis et sine peccato voluntarie et consulto omitti non possit? Nos, non obscuris, ut putamus, rationibus inducti, censemus, eam ipsam defensionem, iure naturae et ipsius uirtutis norma, in casu necessitatis non saltem licitam, sed et praeceptam esse. Arque adeo, quamuis in statu ciuili *moderamen inculpatae tutelae*, ut uocatur, bene recteque arctioribus limitibus, quam in statu naturali, circumscribatur, ne in licentiam propriae vindictae abeat: in eo tamen casu, ubi magistratus auxilium nulla ratione haberiqueat,

queat, id minus recte in uniuersum posse prohiberi, poenaque capitali vindicari, arbitramur. Vnde alii iudicent, quid sentendum sit de uetus lege Lucernatum; secundum quam, referente SIM LERO, *de Republica Helvetiorum*, Libr. II, p. 159, ille, qui ciuem Lucernatem interficerit, etiamsi iustum habuerit causam, quod scilicet iniuste inuasus ab altero uim ui repulerit, nihilominus capite poenas luere iubeatur.

O B S E R V . II. Quod uero de necessaria defensione singulorum hominum statuimus; idem etiam, in casu necessitatis, de bello integrarum gentium iudicamus. Etsi enim bellum ordinarie saltem sit iuris permittentis, et, secundum prudentiae regulas, tempestiuam commodamque agendi facultatem requirat; ubi tamen nulla prorsus alia ratio tuendae salutis publicae supersit, fieri etiam potest necessarium, adeo, ut illi, qui id unice ab hoste agi uident, ut ipsi cum suis pereant, ac tota respublica euentatur, aduersus legem naturae, conseruationem uniuscuiusque praeципientem, grauiter sint peccaturi, si se conseruare nolint, adeoque quieti ac scientes prudentesque se suosque trucidari patientur.

O B S E R V . III. Sicuti autem iam alibi probatum dedimus, dari omnino leges permittentes, quae a legibus obligantibus sint distinguendae: ita uel huius Problematis occasione patet, quantum usum habeat illa legum naturalium in *obligantes et permittentes* distinctio. Quod enim, lege permittente, conceditur; id agendum omittendumue nostro relinquitur arbitrio; quod autem lege obligante praecipitur, id agere utique debemus, quo ad quidem agendi facultas et idonea occasio nobis datur.

#### P R O B A T U R T H E S I S :

- I. Quia haec defensio nititur diserta lege naturali, quae nostrae nobis uitae praecipit conseruationem. Dum uero hanc praecipit, praecipit simul, ut iustis et idoneis necessariisque

O

tuen-

tuendae uitae mediis, sive modis, quoad possumus, utamur. Iam autem laesio ac caedes iniusti inuasoris tunc *necessaria* est, si quando sine ea seruari uita nostra non possit; et tunc *iusta* est, quia ius nostrum tuetur, et inferuit tranquillitati generis humani, nec tollit ius alienum; cum iniusto aggressori uitae nostrae, ac turbatori societatis humanae, qui ipse suo se iure temere priuat, nulla fiat infuria.

**II.** Quia id, sine quo tranquillitas ac securitas societatis humanae constare non possit, omnino iure naturae non tantum licitum, sed et in casu necessitatis praeceptum, intelligitur. Iam autem euidens est, in hoc statu corrupto, per huiusmodi defensionem violentam prospici securitati generis humani, ne improbi homines tandem secure et impune in uitam proborum grassetur; nec prauorum temeritas bonorum patientia in plurimum perniciem inuitetur; nec deinde nequissimus quisque meliori uideatur frui conditio ne, quam homines quieti atque innocentes.

CONSENTIVNT: VALENT. ALBERTI, in *Compendio Iuris naturae*. P. II, cap. III, §. 11 et 12, pag. 81 & 82. TEXTOR, in *Synopsi Iuris Gent.* c. V, n. 40. STRYCKIVS, in *Disput. de iure hominis in se ipsum*. OSIANDER, in *Obseruat. ad Grotium*, p. 334 et 612. DVRRIVS, in *Disputat. de moderamine inculpatae tutelae*, §. XLIII. D. D. BUDDEVS, in *Theolog. moralis*, Cap. III Sect. III, §. 20, p. 673. HOCHSTETTER, in *Collegio Pufendorfiano*, p. 222. D. SIMON, in *notis ad Guil Grotii Enchiridion de principiis I. N.* p. 121. BARBEYRACIVS, in *notis ad Pufend. de I. N. et G. Libr. II, cap. V*, §. 2; TITIVS, ad *Pufend. de O. H. et C. Obseru.* 121. D. D. GRIEBNERVS, in *Principiis Iurispr. nat. L. I*, c. V, §. 2.

DISSEN-

DISSENTIVNT: ZIEGLERVS, in notis ad Grotium de I. B. et P. pag. 113. D. D. BUDDEVS, in Phloſ. Pratti. P. II. cap. IV, ſect. 3, §. 12. BOECLERVS, in notis ad Grotium, Libr. II. cap. I, de I. B. et P. pag. 11. DN. VVERNHER, in Element. Iur. Nat. cap. VII. §. 7. D. IO. LAVR. FLEISCHERVS, in Institut. L N. et G. Libr. II, cap. 2. §. 43, p. 267. D. IAC. GABR. VVOLFIUS, in Institut. Iurispr. nat. P. II, c. II. §. 12. Auctor uerſionis Germanicae Pufendorfi de I. N. et G. Tom. I, pag. 498.

### PROBLEMA XXXV.

**S**ine autozuejas criminis, architalassus et clas-  
siarii, mandato Superiorum obstricti, in  
puluerem tormentarium nauis suae ignem in-  
iicere possunt, ne in potestatem hostium ue-  
niant.

#### E K Θ E Σ I Σ.

Dudum haec Quaestio agitata fuit inter morum Doctores; cui uentilanda occasionem praebuerunt exempla classicorum quorundam militum, maxime Belgicorum, qui in bello mari-  
timo, postquam omnia egerunt, nec uincendi, nec effugiendi,  
occasionem superesse uiderunt, puluere pyro accenso, extremo  
mortis periculo ſe exposuerunt, ne cum naui sua hostium po-  
tentia atque crudelitati subiicerentur. Evidem MARTINVS SCHOO-  
KVS, de Imperio maritimo, cap. XXVI, tradit, ex consuetu-  
dine magis, quam ex lege, diu obſeruatum eſſe, nauem potius  
perdere, accenso puluere tormentario, quam hosti tradere; et  
in plerisque nauibus bellicis, ne quidem iuſſu Ordinum foede-  
rati Belgii, ſed ex consuetudine, puerum quendam conduci con-  
ſueiſſe, qui urgente neceſſitate puluerem accenderit. At enim-  
uero, ZENTGRAVIVS, celebris quondam Argentoratensis Philo-

An classi-  
rii, qui pal-  
uere pyro  
accenſo,  
mortis per-  
iculo ſe ex-  
ponunt, ne  
cum naui  
ſua in ho-  
ſtium ueni-  
ant po-  
tentia, ſint  
autozue-  
jas?

Iosophus atque Theologus , in dissertatione de *neglecta uitae custodia*, §. XVII, Richofsheri exemplo, in *Itin. Brasil.* p. 7, testatur, iurisurandi militaris nautici formula id omnino contingit; factumque ita saepe constare ex Meterano, *Rerum Belgic.* 27, f. 385; ex Thuano, *Libr.* 136, f. 1239, aliisque: idem fecisse Hispanos ; de Suecis id testari Loccenium, *Iur. marit.* 3. 9. 3; de Gallis, Marisottum, *Orb. marit.* f. 371; caussamque Anglis et Batauis ab Hispanorum captivitate ita se vindicandi, ex atroci horum crudelitate fuisse datam. Nos , subiunctis rationibus inducti, eiusmodi factum, in casu quidem extremae necessitatis, et sicubi ex ditione non nisi maior hostium ferocia ac saecuties sit metuenda, non improbandum censemus.

**PROBATOR:**

- I. Quia ratio belli hoc requirit, ut potius militantium morte vires hostium minuantur, quam intempestiva ditione augentur: unde illi non solum ratione bonorum, sed etiam ratione ipsius uitae, Maiestati ciuili sunt obstricti. Ad haec salus publica exigit, ut maior ratio totius Reipublicae, eiusque securitatis, quam paucorum eiusdem membrorum, habeatur: alias uitiosa foret omnis belli ratio, neque milites exponi possent stationi periculosissimae. Debetur Reipublicae uita et sanguis; cuius parci haud debent esse munieris rationibus devincti, quoties prodeesse possunt in commune.
- II. Quia, ubicunque uitae nostrae conseruatio saluti publicae est grauis et exitiosa; (id quod contingere potest, si, concessa virium nouarum accessione potentiam hostium publicorum magis formidolosam redderemus Reipublicae nostrae, cui fidem obstrinximus:) ibi eius amissio et iactura, quae ex officii rationibus nobis imponitur, est gloriosa. Praestat enim, etiam cum discriminione uitac prodeesse, quam nihilo

nihilo minus in periculo uersari contra utilitatem publicam, aut inani declinatione periculi illud committere, unde damnum inferatur Reipublicae.

III. Quia tunc non directe iubetur *avtoχυείας*, sed tutela salutis patriae, eiusque caussa extremum periculum subeundum; nec tamen id semper ab omni spe eluctandi prorsus destitutum.

• IIII. Quia in hoc casu non deprehenduntur requisita criminis *avtoχυείας*. Neque enim huiusmodi milites directe intendunt occisionem sui, sed incommodorum grauium a republica auertendorum rationem, et diminutionem potentias hostilis; nec ex malitia et priuata temeritate, sed ex auctoritate publica, et studio boni publici adiuuandi, uitam extremo periculo subiiciunt; adeoque non sunt, nisi ministri publicae auctoritatis, et munia a republica iniuncta exequuntur etiam in huiusmodi casu necessitatis. Neque obstat, quod tunc in statu alicuius violentiae uersari uidentur, quia modus agendi in bello et in officio militari iam per se maxime proprius est uis et terror. Ac si aliquando milites sine damno salutis aeternae in bello uitam amittunt; parum refert, per quamcunque *instrumentalem* caussam id fiat; adeoque nec interest, utrum tunc ita se exponant morti, ut ab aliis possint interfici; an aliquid ipsi committant, unde pro publica salute uitam deponant. Sunt uero in istiusmodi casu milites non tam principalis et moralis, quam instrumentalis et physica mortis suae caussa.

CONSENTIVNT: DORSCHEVS, in *Collegio Aphoristico casuali MSCro*, apud ZIMMERMANNVM, in *Analectis menstruis, mense IV*, p. 205; RACHELIVS, in *diatriba de morte voluntaria*, §. LXI; RIVETVS, in *Explicat. decal. ad Exod. XX, u. 13*; AME-

sivs, de *Conscientia*, *Libr. V*, cap. 31, §. 14; LESSIVS, de *iustitia et iure*, *Libr. II*, cap. 9, dub. 6, n. 34, p. 91; BECMANVS, in *Lineis doctrinae moralis*, cap. *XV*, §. 2, p. 366; IACOB. ZEVOCOTIVS, in *Comment. ad Florum*, *Libr. II*, cap. 18; PVFENDORFIUS, de *I. N. et G. Libr. VIII*, cap. II, §. 4; et in *Elementis Iurisprud. universalis*, *Libr. II*, cap. 19; ADRIAN. HEEREBOORD, in *Collegio ethico, Disput. pract. XX*, p. 84; BVRGERSDICIUS, in *Idea Philos. moral.* cap. *XIV*, §. 17, pag. 150.

DISSENTIVNT: HORNIUS, de *Ciuitate*, *Libr. II*, cap. 2, §. 17, pag. 188; HEDINGER, in *Conspectu Iurisprudentiae naturalis*, *Tit. VIII*, pag. 179; DANHAVERVS, in *Collegio Decalogico*, *Disp. XII*; HOCHSTETTER, in *Collegio Pufendorfiano*, pag. 220; SCHOOKIUS, de *Imperio maritimo*, cap. *XXVI*, pag. 323; LOGCENIVS, de *Iure maritimo*, *Libr. III*, cap. 10.; in primis b. OMEISIVS, in peculiari *Disputatione*, A. 1680, de hac *Quaestione* habita.

### PROBLEMA XXXVI.

*An qui mor-  
ti destinati,  
iussu magi-  
stratus sui,  
sententiam  
mortis ipsi in-  
se exequi  
necessa ha-  
bent, sunt  
autóxipes;*

**N**on sunt *autóxipes* habendi, qui, capit is a Iudice condemnati, latam mortis sententiam, iussu magistratus sui, ad euitandam acerbiorem poenam, ipsi exequuntur.

E K Θ E Σ I Σ.

Huius Problematis argumentum cum proxime praecedenti est coniunctum; paribusque fere rationibus confici posse uideatur. DORSCHEVS, celebris quondam Argentoratenium theologus, apud ZIMMERMANNVM, in *Analectis menstruis*, pag. 205, huiusmodi casum ita fingit proponitque: *Si magistratus homini, supplicium extremum merito, mandet certum mortis genus, scilicet, ut uel aperiat ubi uenam, e qua sanguis effluat ad animi usque*

usque deliquum, uel ut remdueat obstaculum, quo securis de-super labatur, et collum dissecat; uel sumat uenenum, etc. quaeritur, an bona conscientia possit obsequi, praeſertim, si mors lenior decernatur, quam spretam supplicium maneat grauius? Non pauca occurruunt huiusmodi supplicii exempla. Sic apud Athenienses cicutam biberē rei iubebantur, ut Phocionis exemplo apud PLVTARCHVM, T. I. Opp. f. 758, constat. Sic et Socrates, qui sapientissimus hominum habitus est, intrepide fertur icidem cicutam hauiſſe, ex decreto quidem Iudicum, narrante AELIANO, Libr. I. Var. Hist. cap. 16, Haud secus et Seneca a Nerone mori iussus, uenas sibi abrupit, memorante TACITO, Libr. XV Annal. cap. 63. Quo teste, et saepe alias a Tiberio et Nerone missi fuere tribuni, uel centuriones, qui morti destinatis extremam necessitatem denuntiarent. Si quis pareret, et mortem occuparet, manebant testamenta, iusta funeris, pretium festinandi. Sin autem; ecce, carcer, carnifex, laqueus, Gemoniae, fiscus. Eandem puniendi rationem olim Aethiopibus usitatam fuisse, refert DIODORVS SICVLVS, Libr. III, pag. 102; ita quidem, ut damnatus capitis non a carnifice supplicium pateretur; sed, ubi quidam ex lictoribus, mortis praferens signum, ad reum missus fuisset, ipse sibi mortem consciuerit. Tacemus, in Iapania adhuc frequenter tanquam honestius supplicium, ventris settionem, non nisi propriis reorum manibus administrari, peragique solere, teste VARENIO, in deſcript. Iapan. cap. XIIIX. Tantum abeft, ut hunc puniendi modum plane approbemus, ut eum prudentiae et huinanitatis rationibus non parum aduersari arbitremur: interim illos, quibus eiusmodi necessitas moriendi fuerit imposta, a culpa autoφονίας absoluendos iudicamus. Neque enim is tunc peccat, qui pati inhumanitatem alterius necesse habet; sed is, qui inhumanus est.

## PROBATVR:

- I. Quia tunc mors non tam uenit ab ipso reo, qui hoc respicit, tantum est ueluti *cauſa instrumentalis*; quam a sententia

tentia et auctoritate iudicis: adeoque in tali casu, non tam moraliter, quam grammatico, sic dicta occurrit auctoritate.

II. Quia, uti publica sufficit auctoritas, ut carnifex licite interficiat hominem sonorem; ita ex ea ipsa causa excusatus et ille habendus est, cui supplicii in se execundi necessitas iniungitur: quoniam nulla tunc eius occurrit malitia moralis, sed potius aliquando executio iustitiae et vindictae publica auctoritate imperatae; imo occurtere potest et amor sui ipsius in euitando acerbiori supplicio, et declinanda obsequii non praestiti ultione, quae, exemplo temporum Tiberii et Neronis, hominibus huiusmodi executionem recusantibus saepe multo grauior acerbiorque instat. Natura enim, in tali necessitate, minus abhorre videtur, si quis coactus sibi conciscitat mortem leniorem, quam si renitendo sibi accersat durissimam.

III. Quia, uti capit is damnatus recte potest ipse os aperire, cui magistratus iussu infundatur uenenum; ita parum interest, an ipse infundat uenenum, an alius, quando nulla amplius datur dilatio, neque tergiuersatio prodest. Haud secus, si serpentis iuctu sit pereundum reo, uix apparet, quid refert, an ipse reus applicet, an alii applicant non resistat?

CONSENTIVNT: VALENT. VELTHEM, in notis ad Grotium, de

I. B. et P. pag. 1244; HENNIGES, in Observat. ad eundem Grotium, pag. 788; HEDINGER, in Conspectus jurisprudentiae naturalis, Tit. IX, §. 8, p. 178; FRANCISCVS VICTORIA, Relect. de homicidio, n. 30.

DISSENTIVNT: RACHELIVS, in Disput. de morte voluntaria, §. LIV; ZENTGRAVIVS, in Disput. de neglecta custodia uirae, §. XIV; STRYCKIVS, de Iure hominis in se ipsum, cap. III, n. 13; HOCHSTETER, in Tract. de poenis, pag. 24; BECMANNVS, in Meditationibus politicis, Dissert XV, §. 3; LEONHARDVS LESSIVS,

de Iustitia et Iure. pag. 90.

Digitized by Google

## PROBLEMA XXXVII.

**I**MPRUDENTIA ET ERROR PACISCENTIS,  
 In quo sua ipse culpa uerſatur, PACTVM An error  
paciscentis  
pactum red-  
dat irritum?  
 NON REDDIT IRRITVM.

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. I. In Jurisprudentia naturali latissime patet argumentum de *pactis*; quorum usum societati humanae salutarem hic explicare, nihil attinet. Id uero iam obseruandum esse duximus, nos propositum Problema nunc potissimum dijudicare ex *regulis juris stricte dicti*. Etenim hoc omnino iuris stricti est, ut *pacta seruentur*; propterea, quod ille, qui temere non stat *pactis*, quantum in se est, *laedit* alterum, eique iniuriam infert; unde non potest non proxima occasio dari pacis et amicitiae externae turbandae: adeoque, si nulla *pactis fides* sit seruanda, *pacta non instrumentum maioris comoditatis*, sed iniuriarum, forent; neque facile dissociatis gentibus, singulisque hominibus, uia et ratio supereret ad pacem et amicitiam restituendam. Sicuti uero *ius strictum*, de qua hoc loco loquimur, iam eo contentum est, *ne quis de laetione et iniuria sibi ab alio illata recte queri possit*; ita non negamus, *pacta præterea etiam ex regulis maioris virtutis*, b. e. *humanitatis et aequitatis*, censeri iudicarique posse; quae si inter paciscentes obseruentur, dubium non est, quin adhuc maior utilitas securitasque ex *pactis* afferri possit societati humanae, et quia is honeste et generose agat, qui homini ex quadam imprudentia paciscenti remittat obligationem; si autem in hoc corrupto statu istas regulas humanitatis de facto insuper habeantur, non tamen hinc iusta belli causa existat.

P

OBSERV.

OBSERV. II. *Pactum* nobis hoc loco , licet contra usum Iurisconsultorum Romanorum , non tamen contra consuetudinem ex iurisprudentia naturali loquentium, generatim dicitur *decresum duorum pluriumue, idque congruenter declaratum,* de aliquo iure transferendo uel confirmingando ; ubi quidem alter promittit, alter promissionem acceptat. Qua ratione huc referimus conventiones publicas et priuatas, foedera, capitulationes, et alia generis eiusdem , quae secundum Ius Naturae eodem nuntiuntur fundamento. Hinc Iacob. Frid. Ludouici, in *Doctrina Iuris naturae iuridice considerata*, Cap. VII, s. 1 : *Varias illas, inquit, distinctiones, quae in Legibus positivis, praesertim uero Romanis, deprehenduntur, inter pacta et contractus, pacta nuda, et non nulla, contractus nominatos et innominatos, reales, uerbales, literales, et consensuales, ius NATVRAE ignorat; quippe quod cuiuscunque generis conventionem seruandam esse praecepit, ne socialitas et pax inter contrahentes rumpatur.* Sicuti igitur pactum uerum generatione est *decretum* , adeoque *actio quaedam rationalis* ; ita constat, uere ualide pacisci non posse, nisi homines usu rationis praeditos, qui recte decernere possint. Quo ipso, infantes, furiosi, mente capti, sufficiente rationis usu destituti, non ualide decernere , b. e. id, de quo paciscuntur, intelligere et uelle, censemur. *Decreti* uis, uti maxime in *woluntatis* determinatione consistit; atque, cum *pactum* sit duorum pluriumue *actio*, inter pacientes *mutuum*, eumque idonea ratione declaratum, requirit *consensum*, quo alter ius transferre, alter acceptare, uelit: ita supponit aliquam *intelligen- tiam* rei, de qua agunt pacientes. Ea enim demum uera est *actio humana et rationalis*, hominibusque agentibus recte imputatur, quae, *praelucente intellectu, et, decernente uoluntate, suscipitur*. Quo sapientiores sunt homines; hoc facilius intelligunt, aut certe intelligere allaborant, id, quod agunt.

sgunt. Quae uirtus ac perfectio uti paucissimis hominum est propria; ita in sociali uita saepe satis est, generatim nosse, aut etiam rectius posse cognoscere id, de quo agitur; dum modo uerior certiorque cognitio non fraudulenter ab altero paciente impediatur.

OBSERV. III. Vbi simpliciter abest cognitione; ibi nullum est decretum, nullum pactum. Rei enim ignotae, penitusque ignoratae, nulla est cupiditas. Multo certius est, sine omni uoluntate et consensu, non posse homines decernere et pacisci. Contradiccio enim foret, eadem ratione non uelle, et uelle. Quodsi enim ad omnem actionem humanam requiritur, ut a uolenti proficiscatur; multo magis eadem ratio requiritur ad pactum, per quod iura mutuo transferuntur. Alia quaestio est, an etiam cum minus plena ueraue cognitione constare possit pactio? Qua de re haec generaliter commentatur Grotius, Libr. II, de Iure B. et P. cap. XI. De pacto errantis, inquit, perplexa satis tractatio est. Nam distinguunt solet inter errorem circa substantiam rei, et qui non sit circa substantiam; an dolus caussam dederit contractui; an non? Fueritne alter, qui cum actum est, doli particeps: siue actus strincti juris, an bona fidei? Nam, pro barum rerum varietate alios actus irrisos pronunciant scriptores; alios validos quendam, sed ut arbitrio eius, qui laetus est, rescindit possint, aut reformari? Sed barum distinctionum pleraque uenient ex iure Romano, tum civili ueteri, tum practorio; quaedam etiam non satis uerae, aut occuruae sunt. Hoc alii iam animaduerterunt, Romanos non parum fluctuisse in hac parte iuris; quia nullus apud eos titulus de errore in genere solide elaboratus occurrit. Vid. Gundlingian. P. XXXIII. Obs. I. Sic et vulgarem distinctionem Iurisconsultorum inter errorem circa

P. 2. effec-

*essentialia*, ut loquuntur, et *accidentalia negotii*, obscuram esse, et nullius momenti, docuit Thomasius, in *notis ad Lan-*  
*celotti Inst. Jur. Can* pag. 850. Nos, in proposito Proble-  
-mate, duntaxat de illa loquimur imprudentia, illoque errore,  
in quo pacisens sua culpa uersatur, et quo sibi magis, quam  
alteri, nocet: atque huiusmodi errorem, quomodounque is  
attingat negotium, siue tanquam prima, siue tanquam inci-  
dens pacti caussa; siue ipsam rei substantiam spectet, siue mi-  
nus; siue error sit antecedens, siue concomitans et consequens;  
non posse, invito altero paciscente, vim et ualorem pacti tol-  
lere, arbitramur.

OBSERV. IIII. Huiusmodi erroris exempla non raro occurunt. Quotiescunque enim non fieri potest, ut quis sibi emat vineam, agrum, praedium, e quibus fructus uberrimos libi reddituros putabat, non tam uidentis fraude, quam suo errore, uanaque opinione inductus; cuiusmodi quidem res non facile emturus fuisset, si ante rectius sapuisset, earumque re-  
rum usum naturamque uerius cognouisset? Sed et ipsi impe-  
rantes, integræque gentes, in pactis foederibusque incundis errare possunt: licet alio potius quocunq[ue] nomine et praetextu aliquando pacta reuocent, quam ultro profiteantur, se sua culpa inter paciscendum errasse. Gundlingius, in *I. N. et G. Cap. XII*, §. 14. huc retulit disputationem inter Suecos et Brandenburgicos de uerbis instrumenti Pacis Westphalicae: *cum terris adiacentibus*; quae Sueci ratione finium Pomeraniae regundorum in suum emolumentum interpretabantur; Brandenburgicis aliter a se intellecta arguentibus, quam ferebat Salvius, Orator Suecicus. Quam rem copiose enarrat Pufendorfius, *Libr. III de rebus gestis Friderici Wilhelmi* §. 42. *seqq.* Sed neutra ibi pars profitebatur, se in pangendo foedere errasse; uerum de interpretatione uerborum ambiguo-  
rum inter se contendebant, eorumque sententiam in suum fauorem

fauorem commodumque pertrahebant utrique paciscentes. Exemplum e Duglossi *Histor. Polon. Libr. X*, pag. 167. V. C. Everh. Otto, ad Puffendorfium, pag. 14, notat in Vladislao, Poloniarum Rege, qui deformi pro pulchra desponsatus erat. Singulari exemplo, Johannes, Rex Bohemiae, Anno 1334, cum Philippo Valesio, Rege Galliae, de Lucensi ciuitate tractans, exceptioni erroris in iure et facto, itemque laesisionis ultra dimidium, renunciauit: *Renoncans de hōtre certaine science, — — a l'action et exception sans cause et sans injustice, et a toute erreur de droit et de fait, et a tout decevance et lesson, et a loi, qui dit, que ceux, qui sont deceus outre la moitié de juste prix, peuvent être remboursés.* etc. Diplomā exhibet Leibnitius, in *Codice Iuris Gentium, P. I, num. LXXXIII, p. 145.*

OBSERV. V. Alia, quae ad explicandam descriptionem et naturam pactorum pertinent, hic praetereo; neque necesse puto, ut ex Thomasii *Iurisprudentia diuina, Libr. II, cap. VII, s. 39.* et 41, hanc limitationem repeatam: *Errorum in dubio semper nocere debere erranti, nisi circumstantia illa, in qua pacisensis errauit, expresse promisso per modum conditionis fuerit adiecta.* Quodsi enim pacisensis, expressa conditione, sibi cauit, non ipse sua culpa errasse dicendus est.

#### PROBATORI THESIS:

- I. Quia error pacisentis, quem hic cuitare et poterat, et debebat, morali ratione habetur pro voluntario; etiam omnis culpa existimetur voluntaria. Culpa adeo voluntaria non tollit consensum, neque vim pacti, illo consensu nixi, sufflaminat.
- II. Quia is, qui sua culpa in errore uenatur, uel ex negligenter, uel ex precipitantia, aut generatim ex imprudentia, errat. Iustus autem est, imprudenti et negligenti postea suam nocere negligentiam et imprudentiam, quam alteri, qui in culpa non est. Pacta prudenter et circumspicte sunt

tractanda; quod officium qui suo periculo negligit, eadem pacta iure non potest reddere irrita. Error adeo, qui uitium est errantis, non alterius, alteri invito ex rescisso contractu non debet esse fraudi, siue damno.

**III.** Quia cum errore et imperfecta rei cognitione, etiam voluntas, tanquam primarium imputacionis fundatum, coniuncta esse potest. Etenim, quod recte monuerat Gundlingius, *I. N. cap. IV, §. 28, prioris editionis:* ubi duxat aliquid deest claritati cognitionis, ibi quidem voluntas et consensus non uidetur lucidissimus, haud tamen deficit prorsus. Si quis enim pacificens forte uana opinione aliquid supposuerit, nec tamen id pacta conditione se supponere indicauerit, neque satis aperuerit mentem suam, sibi errorem uanamque opinionem imputet, satisque habeat, consensi suo inter paciscendum declarato satisfieri. *Praesumtio enim mente retenta, utcunque falsa, caussam quidem dedit promissioni et pacto, nihilominus tamen non derogat pacto.* Ratio est, inquit Zieglerus ad Grotium, *qua uolitio et nolitio, quae re ipsa non fuit, sed fuisset, si haec uel illa conditio posita fuisset, non panit, uel tollit obligationem; sed posuissest, uel sustulisset, si conditio posita fuisset.*

**III.** Quia, si error noster aut conditio saltem animo retenta, ex subsecuta poenitentia, praeciducaret alteri, patetque vim tolleret; facillima occasio aperiretur reservacionibus mentalibus, turbandisque pactis et foederibus; ita, ut, quotiescumque haec ex euentu nobis minus grata uiderentur, corumque utilitas primae speci nostrae uotique non satis responderet, ad ea rescidenda caussari possemus, nos paciscendo errasse. *Qua re nihil incertius fallaciusque pactis foret.*

com-

CONSENTIVNT : THOMASIVS, in *Iurisprud. dissina Libr. II.*, cap. VII, §. 39, seqq. GE. BEYERVS, in *delineatione iuris naturalis*, Cap. XVII, §. 44 et 48. DN. GRIBNERVS, in *Principiis Iurisprud. nat. Lib. I.*, cap. VII, §. V, pag. 95. IAC. FRID. LVDOVICI, in *Doctrina Iuris naturae iuridice considerata*, Cap. VII, §. VIII et VIII. PRAGEMANNVS, in *Iurisprud. max. Exercit. VI*, §. 18. GLAFEV, in *Vernunft- und Völcker-Rechts*, p. I, p. 438. IAC. GABR. VVOLFIUS, in *Instit. Iurisprud. nat. P. II*, S. I. Cap. V, §. XI. THVMMIGIVS, in *Instit. Iuris Nat. S. 146*, et 148.

DISSENTIVNT : VETERES quidam IVRECONSULTI, qui alii mis generaliter tradunt, non uideri consentire eos, qui errant. PI. I. 15. de *jurisdictione*. item I. 116, de *Regulis iuris*; ALBERICVS GENTILIS, de *Jure Belli*, Libr. III, cap. XIV, pag. 599. PVFENDÖRFIVS, de I. N. et G. Libr. III, Cap. VI, §. 6 et 7. et de Off. H. et C. Lib. I, cap. IX, §. 12. HOCHSTETTERVS, in *Collegio Pufendorfiano*, in *Eriuérçois ad Exercit. VII*, §. 3. et 4. p. 320. GVNDLINGIVS, in *Iure Naturae*, recent. edit. Cap. IV, §. 37. ubi nimis laxe ita ratiocinatur: *Vere ERRANS nec peccat, nec conserbat, nec laudatur, nec reprehenditur, nec debet acquirit, nec obligatur; ac, sicut ipse nihil amittit, ita* nec alteri aliquid adinquit. Alibi vero, et in primis *Parte XXXIII Gundlingianorum, Observ. I*, luculentius rem exponere uidetur.

### PROBLEMA XXXVIII.

**P**A C T A M E T V E X T O R T A sunt ser-  
uanda.

E K S E S I S.

OBSERV. I. Ad hoc problema illustrandum q̄i iudicandumque ante omnia opus est, ut distinguamus inter *statum naturalis*,

An palla  
metu extor-  
ta fuit fra-  
uanda?

*ralem et ciuilem.* Nos loquimur de *statu naturali*, sive singularum priuatorumque hominum, sive integrorum populorum, iisque imperantium; ubi scilicet alicuius magistratus et iudicis auxilium non habetur; neque facile alia via, nisi per fidem pactorum, ad pacem et securitatem restituendam datur. In *statu autem ciuili* ordinari aliquando, ut eiusmodi pacta metu extorta haud valida esse debeant, discimus uel ex Pandect. Tit. de eo, quod metus caussa gestum. Quamuis enim leges naturales, natura sua, cum ob legislatoris sui auctoritatem, tum ob arctissimam, quam cum humana conditione habent coniunctionem, sint immutabiles; tamen ius humanum in iis maxime caassis, ubi de transferendo et acquirendo iure quaestio uertitur, ad usum et tranquillitatem Reipublicae, libere statuit, adeoque leges naturales generatim quidem relinquit saluas, sed iis aliquando materiam subtrahit, quo minus earum dispositio in hac locum inueniat. Quae imperantium potestas fundatur in hunc, quod iis in personas et res priuatorum integrum est, quocunque societati congruens est ac salubre. Vid. Caroli Gothofredi VVineckleri Exercit. de potestate legum ciuilium in Ius Naturae, A. 1713 Lipsiae edita. Ita, ubi leges ciuiles uerant, solui latronibus pecuniam ex metu promissam, materiam eiusmodi promissionum constituunt illicitam; aut certe ius ex metu iniuste incausso acquirendum praeponibus adimunt, laesumque in compensationem iniuriae sibi illatae a praestatione liberant,

OBSERV. II. Casus et exempla huiusmodi pactionum metu extortarum esse non possunt. Sic bello captus, inquit Hobbesius loco infra citando, si libertatem ea conditione acceperit, ut pretium redemptionis post soluas, solvere obligatur. Etiam Princeps cum Principe fortior, si pacem incommodeam metu fecerit, observare debet. Item in ciuitate, si a iustine uitam reddimere pecunia conatus fuerit, praefenda pecunia

pecunia est; nisi lex ciuilis prohibeat. Sic uero *Franciscus I.*, Rex Galliarum, dñissimus ē custodia, qua, post cladem prope Ticinum A. 1525 acceptam, Madriti a *Carolo V*, Imperatore, detinebatur, pactum cum Imperatore initum, quasi ui et me tu extortum fuisset, violauit. Quod exemplum multis disputandi materiam dedit. Aliquot scriptores, qui id argumentum attigerunt, recenset Gundlingius, in *Tr. de efficientia metus*, Cap. II, §. XIX, seqq. item, Jo. Chr. Schelle, in *Dissert. de Francisco I, R. G. pacta cum Carolo V inita adspernante*, Lipsiae A. 1697 habita. Conf. et L. B. de DANCKELMAN, in *Diss. de pactis et mandatis Principis captivi*, A. 1719 edita. Sic et *Iohannes*, Rex Cypri, a Genuensibus captus, datoque obside filio liberatus, pactis in carcere initis obligari se posse negauit, exceptionemque metus iniusti obuerst; memorante Bodino, in *Republ. L. V, cap. 7*. Sic *Paschalis II, P. R.* A. 1112 ab *Henrico V*, Imperatore, Romae in tumultu captus, de iure inuestiendi et confirmandi Episcopos cum Imperatore pactus erat; at postea omnēm istam conventionem, etiam usu sacrae coenae, et consensu Patrum purpuratorum, confirmatam, sub praetextu metus iniusti reuocauit. Neque secius *transaktionem Passauensem*, A. 1552 factam, et A. 1555 subsecutam *Pacem religiosam*, nonnulli aduersae partis impugnarunt, cauantes, eam vi metuque Imperatori et Ordinibus catholicis fuisse extortam. Plura huiusmodi controversiarum exempla nunc silentio praeterimus.

OBSERV. III. Alii in explicanda hac controversia distinguunt inter *varios gradus et uarios genera metus*. Suspicio saltem probabili, aut reverentia, et metu iusto, itemque metu a tertio incusso, pacta reddi irrita, negant; solum uehementer et iniustum animi terrorem excipiunt, ortum ex intento grati malo, nisi pactum inire uelimus. Quo gene re metus obtinem uim pacti censem extingui. Nos, quoque eligendi

eligendi potestas homini relinquitur, neque iniusto et uehementi terrore, consensum paciscentis, neque vim pacti, naturali ratione tolli, existimamus.

PROBATVR :

- I. Quia ratione formae, id est, consensus mutui paciscentium, etiam tunc adest uerum pactum. Quamuis enim metus terrorque incussus quodammodo restringat libertatem uoluntatis; non tamen eam prorsus tollit. Coacta uoluntas etiam est uoluntas : quia malo maiori minus praefertur, idque per rationem boni. Quantumuis enim tunc aegre, ad id tamen denique uoluntas se inclinat, quod tanquam minus malum eligitur. Qui metu percitus, ob minas mortis, ignominiae, damni, carceris, aliorum mentem flectit, is, recte censente Gundlingio, in *Tract. de efficientia metus*, Cap. I, §. XV, non quidem libere id facit, sed sponte tamen. Spontanea vero actio habetur uoluntaria; quia uoluntatem habet causam auctoremque. Etenim, quod idem docet, in *Jure Nat.* Cap. IV, §. 43, homo metu etiam graui et iniusto compulsus, nihilominus *MAVLT* promittere, aut etiam postulatam pecuniae summam soluere; quam mori, aut maius damnum incurgere. Qui *manult*, *magis uult*, et eligit minus malum ; ergo certe uult et consentit. Ac licet talis homo extra metum maluisset non promittere et contrahere ; ratione tamen temporis et loci, aliarumque circumstantiarum, habita, tunc simpliciter uult contrahere; ut Grotius exemplo naufragium metuentis rem illustrat.
- II. Quia etiam ratione materiae tale pactum validum esse potest, quatenus nimirum ea mutuo transferuntur iura, quae sunt in naturali et legitima paciscentium potestate.

Sic,

Sic, si alter paciscentium promittat id, quod nulla lege prohibitum est, nihil illicitum promittit. Iam autem naturali conditione licitum est, et ad redimendam uitam et securitatem praestandam promittere, et de nostro dare, quidquid uoluerimus cuiquam. Quicquid enim licet facere non obligatis; u. g. ius in pecuniam suam ad alterum uel gratis transferre; de eodem etiam ob metum, et mali maioris auertendi caussam, sicut pacisci possumus. Iam, quod licitum est pacisci; id pactum non praestare naturaliter iniustum est. Sed et alter, qui metum antea incusserat iniustum, ex hostilitate redditurus ad pacem, promittit alteri securitatem atque incolumentem, tanquam rem optimam atque honestissimam, eoque nomine acceptat ius in pecuniam sibi promissam. Haud quidem ualemus ius in alterum transferre, quod non habernus: possumus tamen ius, etiam gratis ab altero ad nos translatum, non iniuste acceptare. Iam si licitum est, acceptare pecuniam uel gratis sibi donatam; licitum etiam iure stricto erit, acceptare pecuniam ab altero certa conditione, aut ob ea officia praestanda promissam, ad quae etiam extra pacta et mercedem obligati eramus. Ius itaque acceptandi tunc non in laesione et iniuria; sed potissimum in alterius voluntaria promissione, atque in iniuriae condonatione, fundatur. Metu enim pressi, dum uere consentimus, ueniam pollicemur prementi, eique, quantum in nobis est, ius acceptandi concedimus; alias actus ille in unum recideret, pactumque in ludibrium conueteretur. Eo ipso autem, dum pacti sumus, ius, quod in re nostra habebamus, in aduersarium transferimus, sicque efficiamus, ut, quod hostis, antea nullo munitus iure, sibi vindicare non potuisse, tunc iure stricto adimpliscatur. Evidem uolens aggressor, uirtutis, et sigilla-

Q. 2

tina

tim humanitatis, atque aequitatis, regulis parum conuenienter agit; rectiusque faceret, si ipse ultro alterum innocentem a pacti praestandi necessitate liberaret, aut, quod iam praestitum est, restitueret; atramen innocens inuasusque, postquam iam inuasori iniusto per pactum condonauit iniuriam, non iuste falleret fidem pacti, aut id, quod iam soluit, praestitique, violenter repeteret; quoad et ipse alter stat pacto, neque ad pristinam hostilitatem redit.

III. Quia, nisi etiam huiusmodi pactis sua constare deberet fides atque sanctitas, in statu naturali adhuc in majori periculo uersarentur innocentes atque oppressi, et bella perpetuo atque ad extremum usque alterutrius partis exitium continuanda uiderentur. Neque enim tam facilis modus daretur leniendi in malis libidinem nocendi, eosque ad uitae socialis cultum alliciendi; neque ad reconciliandam pacem tam prona uia supereret; neque pacta ea, quibus homines metu maioris uiolentiae in uitam ciuilem coierunt, ualerent; neque cum ratione is facturus uideretur, qui captiuo pacienti premium redemtionis suae haberet fidem; neque imperantum promissa, ad iostaurandam pacem rebellibus facta; neque foedera integratum gentium ex belli necessitate inita, uim obligandi haberent; utpote cum non raro usu tunc ueniar, ut pars infirmior innocentiorque metu maioris mali et exitii ad paciscendum inducatur, nec sine coactione satisfaciat aduersario. Vnde et recte ratiocinatus Sauuedra, *Symbol. Polit. XCIX*: Si ideo fallenda est fides publica, inquit, quia pacta metu sunt inita; nulla uerquam foret de urbe, aut exercitu dedendo, composicio; nulla pacis tractatio, quae sub isto titulo rumpi non posset; atque adeo turbaretur tranquillitas publica. Iam vero, pacis

pacis et belli foedera, et integrorum populorum priuatorumque hominum conuentiones, extra leges ciuiles, eodem iuris principio reguntur, earumque fides ac sanctitas eodem nititur fundamento. Deus enim per lumen naturae aequi sigulis hominibus, ac integris gentibus, praecipit, ut fidem veris licetisque pactionibus datam seruent.

**CONSENTIVNT:** HENR. VFFELMANNVS, *de Iure*, quo homo homini in sermone obligatur, cap. VII. ZENTGRAFIUS, in *Summa Iuris diuini*, Sect. II. Subsect. I, §. 12. SAM. RACHELIVS, *de Principiis actionum humanaarum*, Disp. I, §. 27. FRANC. HOTTOmannVS, *Quæsti. illustr. VII. I. THOM. HOBES*, in *Elementis philosophicis de Cive*, Cap. II, §. XVI.

**DISSENTIVNT:** CICERO, *Lib III de Officiis*, Cap. 29. Si pactedibus, inquit, pactum pro capite premium non attuleris, nulla fraus est, ne si iuratus quidem id non feceris. Conf. Idem, *Lib. I de Off. Cap. X.* BALTH. AYALA, *Lib. I, de Iure et officiis bellicis*, Cap. VI, §. 6. PUFENDORFIVS, *de I. N. et G. Libr. III. Cap. VI*, §. 10, et *de Off. H. et G. Libr. I, cap. IX*, §. 15. THOMASIVS, *in Iurisprud. divina*, *Libr. II, cap. V*, §. 66, seqq. IO. CHRISTOPH. BEGMANNVS, in *medit. polit. Cap. V*, §. 4, et §. 5; GE. BEYERVS, *in Delinqv. Iuris diuini natura*, Cap. XVII, §. 60, seqq. IO. VVOLLEG. LAEGER, in *Observ. ad Grotii I. B. et P. pag. 715.* DN. BOEHMERVS, in *Difens. de exceptione metus iniusti*, §. XIII. Sed et eos inter dissidentes referre possuntus, qui cum GROTIUS, *de Iure B. et P. Libr. II, cap. XI*, §. 27, statuunt, eum, qui metu aliquid promisit, obligari quidem ad præstandendum; sed alios, qui metu iniusti iniuriam, ob dominum iniuria datum, teneri ad liberandum promissorem, si promissor uscile. Hi enim vim eiusmodi pactorum non nisi per ambages tollunt.

## PROBLEMA XXXVIII.

*An pacificae  
etiam bac-  
reticis et  
profanis fuit  
seruanda?*

**F**IDES etiam DIVERSAE et PROFANAE RELIGIONIS hominibus populisque data, est seruanda.

## REX E ZIE.

OBSERV. I. Evidemt antea definiri debere uidetur, cum iis, qui aliis, quam nos, imbuti sunt sacris, pacisci, et foedera pangere hiceat? Qua de re laepius disputatum animadvertemus. Sed hanc controuersiam iisdem fere argumentis confici posse arbitramur, quibus probamus, eius generis promissa atque foedera esse seruanda. Bene enim BODINVS, *Libr. V*, *de Republica*, Cap. VI, pag. 599: *Si fidem, inquit, infideli frangere fas est; dare certe nefas est. Si in fidem dare ius est, datam seruare oportet.* Haec enim ipsa sibi sunt consequentia.

OBSERV. II. Sunt, qui facultatem pacificandi cum hominibus a nostra religione alienis quodammodo quidem admittant; sed nimis angustis circumscribant terminis, et ad sola commerciorum foedera restringant. At nos in omnibus illis causis, ubi cum aliis pacisci licet, etiam cum his, qui uerae religionis scita non sectantur, foedera iniri posse, initaque seruari debere, censemus. Neque opus esse putamus, ut in hac disquisitione cum Grotio distinguamus inter foedera nocendi, laedendique caussa, pangenda: cum nocendi laedendiisque caussa etiam cum Christianis pacisci nefas sit; contra uero defendendi et vindicandi recuperandi iuris eadem habeatur ratio.

OBSERV.

OBSERV. III. Facile autem damus, in his pariter atque aliis pactis iaeundis diiudicandisque, inter *iuris* et *prudentiae* regulas distinguendum esse; cum prudentia itidem commonet, doceatque, non omne id, quod ex permittentibus legibus licet, etiam omni tempore expedire, i. e. utile et fructuoso esse. Interim, quod primum erat *libertatis*, uti uulgo dicunt, id demum ex pacto fit *necessitatis*.

OBSERV. IIII. Exempla huiusmodi controversiarum non pauca occurunt. Sic, cum *Ludovicus XIII*, Rex Galliae, cum *Suecis* aduersus *Ferdinandum II*, Imp. atque cum *Belgis* aduersus *Hispanos*, foedus iniisset, acriter inter se disputabant ipsi scriptores pontificii, utrum Principi catholico liceret pangere foedus cum *Lutheranis* ac *Reformatis*? Ipsi etiam diu *Electores Saxoniac*, *Iohannes*, et *Iohannes Fridericus*, dubitabant *Heluetios*, altosque *Cinglii* sectatores, propter dissensum in Capite doctrinæ euangelicae de *S. Coena*, in foedus *Smalcaldicum* recipere, commemorantibus *Sleidano*, *Libr. VIII*, p. 215. et *Seckendorfio*, in *historia Lutheranismi* *Libr. III*. Copiosam disputandi materiam dedit exemplum *Francisci I*, Regis Galliarum, cum aduersus *Carolum V*, Imperatorem, foedus pepigisset. De quo *Grammondus*, *Libr. III*, pag. 208, pluresque alii. Sic ex historiarum monumentis constat, *Elisabetham*, Angliae Reginam, cum *Amurathe*, Turcarum Imperatore, contra *Philippum*, Hispaniarum Regem, foedera fuisse coniunctam; *Fridericum II*, Imperatorem, Saracenorū humeris in Italiam, unde Pontifices ipsum elecerant, reportatum. Et quae longe plura sunt eius generis exempla. Imprimis vero memorabilis fuit casus *Vladislai*, Regis Hungarie, qui pacto, quod iureuando confirmarat *Amurathi*, instinctu Pontificis R. suasuque *Iuliani Cardinalis*, non stetit, ruptaque An. 1444 pace, bellum cum Turcis instaurauit. Quem vero, una cum Patre purpurato, et exercitu, ad

Var-

Varnam fluuium miserabili clade delevit Amurathes. Quid vero noctis est fato. Io. HUSSII de quo BODINVM, Libr. VI de Republ. Capl. VI, pag. 598, audiamus: Sed porro nostri, inquit, progrediuntur, qui etiam decreto Concilii Constantiensis nullam statuunt esse fidem, quae infideli data sit. Patres ita decreuerunt, cum Sigismundus Imperator Ladislao, Bohemiae Regi, fidem dedisset, Iohannem Hussium, et Hieronymum Pragensem, saluos et incolumes a concilio domum reuersuros: qui tamen de Concilii sententia impietatis damnati et excusati fuerunt. Imperator nec fidem Regi datam, nec publicam securitatem, violari fas esse ducebat; sed hunc illi scrupulam accersiti Iurisconsulti, Nicolaus, inquam, Abbas Parvomitarius, et Ludovicus Romanus, exemerunt, cum dicerent, infideli fidem utiliter dari non potuisse, nec datam servari oportere. In quam sententiam Pontifices ac ministros theologos facile pertraxerunt, ut, quos capit is arcessere ac damnare non dubitarant, crudelissimo ignis suppicio necarent; tamen si nec Imperatori, nec Patribus, in eos ullum ius esset; nec, si fuisset, Bohemiae Rex, qui data fides erat, ab Ecclesiae Romanae ritu desinuerat. Rectius gloriolusque CAROLVS V. Imperator, b. Luthero, quem Pontifex Romanus diris execrationibus quasi Ecclesiae Romanae hostem deuouerat, fidem datam seruauit, cum ad Vormatiensia Comitia uenisset; quamquam Eckitus, theologus, in eum eodem iure iisdemque poenis, quibus in Hussium et Hieronymum, animaduerti cuperet, ac fiducia Constantiensis decreti, fidem hostibus fides non esse seruandam contendere.

## PROBATVR:

I. Quia, si pacta hominibus diuersae, vel profanae religionis, non seruabimus, eos, quantum in nobis erit, laedemus, jusque foedere acquisitum iisdem adimemus, aut denegabimus,

bimus. Iam autem ius impuræ laedendi alios, cuiuscunq; generis et religionis snt homines, nisi ab his prius simus laes, non habemus; neque eam facultatem nobis uera concedit Religio.

**II.** Quia utique haec certior et generalior cognoscitur uis iunctas DEI, ut cum aliis quibuscumque hominibus pacare uiuamus, et externa saltem tranquillitate fruamur; quam ut perpetuis bellis distringamur. Iam autem, si pacem colere iubemur; recte uti possimus etiam iis remedius atque subsidijs, h. e. foederibus, quorum ope nostra aliorumque iura defenduntur, aut recuperantur; adeoque pax uel magis confirmatur, uel abrupta restituitur.

**III.** Quia, si nos non seruamus fidem populis alienæ religiosis datam; etiam iis fallendae fidei occasionem causamque damus; adeoque, quantum in nobis est, tunc eximio pacis remedio abutimur ad perpetua; aut internecinia, bella. Quod ergo uolumus, ut alii nobis faciant, uel non faciant; id par iure siveque etiam iisdem facere, uel non facere, debemus. Quae iuris diuini, cum naturalis, tum uoluntarii, regula est.

**IV.** Quia, si alia uitia non impedimento sunt, quo minus pacta cum hominibus minus sapientibus minusque bonis inita ualere ac rata esse debeant; tum neque propter exercitum interius in religione uis foederis aut immixetur, aut plane definit; nisi quod imprudentis fuerit, cum iis pacisci, qui in uniuersum et euidenter statuant, fidem hereticis profanisque datam non esse seruandam.

**V.** Quia bona et humanitati conuenienter agimus, si etiam extra pacta et foedera aliis quibuscumque ultro beneficiamus; sive iniuste laes faueamus, opeque feramus, ad iniuriam propulsandam; quidni etiam ad eiusmodi officia

R

præ-

praestanda iisdem fidem pactis obstringere liceat? Ac contra, si nefas est, extra pacta laedere alios quoscunque; quidni iniarius iniustiusque fuerit, uiolata fide, iis ipsis nocere?

**VI.** Quia populus a Christiana religione alienus, aut labo aliquius haeretos infectus, humanae naturae ac societatis particeps esse non desinit: adeoque, uti is ad nos nostros que defendendos sua opera non parum conferre potest; ita ipse uicissim illorum iurum est capax, quae humanae societatis compaginem continent. Etenim, uti reste ait *Thomas Aquinas*, II, 2, *Qu. 10. art. 10*; *ius diuinum*, quod est ex gratia, non collit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Quodsi vero diuersitas religionum tollerat usum et vim pactorum, foederumque; putcherrimum sane tolleret uioculum pacis inter gentes constitutandae, mediumque hostilitatis componendae.

**VII.** Quia sanctissimi viri cum hominibus a uera religione dissentientibus, D<sup>O</sup> non improbante, foedera aliquando percussere; u. g. Abrahamus cum Amorphaeo et Escole, *Gen. XIV*, 13; Iacobus cum Labane, *Genes. XXXI*; Dauides cum Achiso, Philistaeorum Rege, *1 Sam. XXVII*. Dauides et Salomon, cum Hieramo, Tyriorum Rege, *2 Sam. V*, 11, et *1 Reg. V*, 12. etc.

CONSENTIVNT: PAULVS LAYMANN, in *Theologia moralis*, Libr. II, Tract. III, Cap. XII, pag. 458; ubi docet, si a Christiano u. g. Rege cum infidelibus, seu non baptizatis, publicum foedus fiat, nulla unquam ratione, seu directe, seu indirecte, id a summo Pontifice relaxari posse; item, si Catholici cum hereticis publicum foedus meane, id non posse per auctoritatem pontificiam solvi, aut relaxari. BOGERV<sup>S</sup>, in *Tract. de Bello et Duello*, cap. VI, n. 16. LIMNAEVS, in *An-*

*noss*

notamentis ad Articul. II Capitul. CAROLI V , Imp. HENNIGES , in notis ad Grotium , L II , cap. XV , §. 10. VVERLHOFIVS , de Pactis liberarum Gentium , §. XXX. VFFELMANNVS , de Iure , quo homo homini in sermone obligatur , §. XI. HOCHSTETTERVS , in Collegio Pufendorfiano , p. 317. BVDDEVS , de Ratione Status circa foedera , §. IX , seqq. GVNDLINGIVS , in Iure Naturae , cap. XII , §. 32. IVSTVS CHRISTOPH. DITMARVS , in Dissert. de foederibus cum diuersis atque nullius Religionis populis , A. 1716 Francofurti ad Viadrum edita.

DISSENTIVNT : Quidam ex Pontificiis Scriptoribus . De quibus ipse IACOBVS MENOCHIVS , Libr. I Consiliorum , Conf. C. n. 188 : Scribens permulti , inquit , nec hereticis , qui diuinam Majestatem laedunt , datam fidem esse seruandam ; quemadmodum affirmant MARINVS SALOMO , l. 2. §. exactis ff. de Origine turis , et PETRVS PLACA , l. 1. epis. delict. cap. 37. in f. qui scribit , eiusdem opinionis fuisse D. Ambrosium , l. 2. Offic. c. 29. D. Thomam . 22 Quaest. 40. art. 3. Conradum Bratnum , Lib. de heret. c. 14. — Inno adducte multi ex relatione Doctoribus , nec iuramento fidei hanc datam confirmari posse , ut obseruari omnino debeat . ARN. GODEFR. EVERTE , in Disp. inaug. de Iure foederali , Erfordiae A. 1714 habita ; ubi ad Questionem XXXVII negat , societatem foederalis cum hereticis inire licitum esse ; sequenti tamen Questione , concedit tandem , Principi ennobisco licere inire foedus cum Augustanae Confessioni addictis , propterea quod hi in Imperio Romano Catholicis ratione politorum parificentur et pro hereticis non habentur . Sic et ad Questionem XXXVIII , negat , Principem , vel Magistratum christianum , si ab alio christiano Princeps bello iniquo et crudeli persecutione tam religionis , quam regionis , prematur , et se aliter tuerit non valeat , cum Turca , vel alio profano , foedus intire , et ab eo auxilium aduersus alium christianum ma-

gistratum persequentem, recte petere posse. IAC. SIMANCHA, Pacensis Episcopus, ab Uffelmanno citatus, qui diserte docuit, ad haereticorum poenam et odium pertinere, quod fides illis data seruanda non sit, haud obstante iureiurando. Fatetur uero Uffelmannus, uniuersam Ecclesiam Romanam istud dogma nondum approbasse, neque omnibus pontificis id iure exprobari posse. De quibusdam uero longe uerissimum id esse; copiose ostendit b. BALTH. MEISNERVS, *Philos. Socr.* P. III, Sect. I, qu. II, Cap. VII. Sequentes uero scriptores, Quaestione de haereticis et dissentientis religionis hominibus praetermissa, saltem foedera cum profanis paganisque inita, eaque maxime bellica, et quae respiciunt auxilia mutua, reiiciunt. ALBERICVS GENTILIS, de *Iure Belli Libr. III, Cap. XIX*; qui quidem concedit, cum diuersae religionis hominibus foedus commerciorum esse licitum; at negat, fidelem unquam recte arma coniungere cum infideli, siue contra fidelem, siue alium infideli. CYRIACVS LENTULVS, de *iure circa bella et pacem obseruando*, P. I, Cap. VIII, pag. 71. THEODORVS REINKINGK, de *regimine Seculari et Ecclesiastico Imp. R. Lib. II, Class. 3. pag. 1030, seqq.* GEORG. SCHOENBORNERVS, *Polit. Lib. IV, c. 36.* ZEPPERVS, *Libr. IV de legibus Mosaicis, cap. 6.* MART. HASSEN, Prof. VVittenb. in Disquis. *An Princ. ceps christianus cum non christiano aduersus Christianum foedus inire possit?*



## PROBLEMA XL.

**N**eque fidem REBELLIBVS datam fallere fas est.

*An fides  
rebellibus  
data sit sero  
nanda?*

## ΕΚΘΕΣΙΣ.

OBSERV. I. Evidem nihil est detestabilius temeritate atque impietate. rebellium. Hinc et HEINR. HENNIGES, in *Observant. Ad Grotiam de I. B. et P. pag. 913,* existimauit, exteris etiam imperantes tunc fuisse obligatos, cum superiori saeculo Angliae rebelles in Regem suum optime meritum saeuierint, ut ad coercendos perduelles Maiestati oppressae tulissent auxilium. Certe, non nefas est, acrioribus poenis supplicisque subiici perfidos, rebellesque, si sine pacto uenerint in potestatem superioris. At nos loquimur de iis, quibuscum foedus initum, pactiones factae, et quibus uenia impunitasque delicti fide publica est promissa atque sancita. Tunc uero, inquit GROTIUS, si quasi cum desertoribus, aut rebellibus, actum sit, poena promisso opponi non posset. Ceterum, quae ad explicandas illustrandasque superioris Disquisitionis VIII controuersias annotauimus, magnam partem etiam ad hoc Problema accommodari possunt.

OBSERV. II. Facile quidem concedimus, esse aspernum, cum armato rebelli pacisci; optabilius esse, si ultra supplicet, si supercilium ponat, et ipse se suamque caussam damnet: at enim uero illam pacisciendi necessitatem superioribus aliquando imponi, non pauca regnum popolorumque exempla docent. Sic Plebs Romana per secessionem seditiosam rem eo redegerat, ut Senatus necesse haberet, per pacta iurata consentire in creationem tribunorum plebis. Quam rerum commutationem cum nonnulli aegre ferrent, pacemque cum

plebe initam postea rescindendam iudicarent; Appius tamen Claudius, alias plebi infensissimus, referente DIONYSIO HALICARNASSEO, *Libr. VII Antiqu. Roman.* pag. 456, istius pacti rescissionem Patribus dissuasit. "Οτα μεν, inquit, ἔχωρισθε και συνεχωρήσατε τη δῆμω, Την ἔχθραν διελλατίσ-  
μενοι, ὅπωδηποτε, φυλάττειν πύρα, και μὴ λύειν τῶν λόγων συγ-  
χωρηθέντων μηθέν, εὐχὴ μὲν καλῶν και τῆς πάλεως μέχιν οἴτων.  
πέδειν γαρ; αὶλλ' ως αἰαγκαῖων και μηκέν δεχομένων διόρθωσιν.  
h. c. Quae quomodo cumque pacis conciliandae causa gratifi-  
cati estis, et concessistis Plebi; ea rata serueris, nihil eorum,  
quae tunc concessistis, reuocantes: non, quasi illa sine honorifi-  
ca, et e dignitate Republicae, (quomodo enim esse possunt?)  
sed quoniam necessaria fuere, neque amplius corrigi possunt.  
Sic et MAXIMILIANVS I, Rex Romanorum, memorante  
BIRCKENIO, *Specul. Honoris Austr. Libr. V, cap. 38, ad*  
*A. 1488*, generoso animo cenobat parcendum ciuibus  
Brugensisibus, post tumultum ex pacto in gratiam re-  
ceptis; quamquam FRIDERICVS III, Imperator, eam  
pactiōnēm in solenni Procerum Imperii confessu discutiendam, ac pro re nasa rescindendam, iudicaret. At, ini-  
que egerant Lacedaemonii, qui quondam seruos, cri-  
minis reos, ex Taenari templo excitos, contra fidem da-  
tam occidissent, referente AELIANO, *Libr. VI Hist. war.*  
*cap. VII.* Sic et, cum A. 1522, Vincentius Pogius Lu-  
censium Ducein, in ipsius urbis praetorio, coniurato-  
rum ualida manu armatus obtruncasset, atque, fide a  
magistratibus accepta, urbe excessisset, iis quidem con-  
ditionibus pactis, ne Ducis caedes sibi sociisque fraudi  
esset; nihilominus postea, contra fidem datam, ii, qui  
coniurationis participes fuerant, publico iudicio da-  
nnati fuere.

PROBA-

## PROBATVR OEEIE.

- I. Quia, quibus rationibus declaratur, pacta seruanda esse hostibus, latronibus, ac diuersac profanaeque religionis hominibus; ex iisdem etiam rationibus constare existimamus, fidem rebellibus dataam non debere uiolari: quoniam et hi ex statu hostilitatis, per pacta et imperantium promissa, ad statum tranquillitatis reuertuntur, ac, data delicti uenia, cum his denuo coniungi uolunt imperantes; et quia, si per seueritatem oppositam non commode coerceri; et in ordinem redigi possunt dissidentes, uix aliud superest remedium denuo coniungendi ciues cum imperantibus, quam fœdus pacis et amicis, nisi quidem in extremam praecipitandos desperationem, et aeternis agitandos odiis, atque internectione delendos communique exitio inuoluendos dixeris discordantes, aut imperantem sine subiectis et imperandi potestate relinquendum censueris. Sicuti autem, quae Pufendorfii ratiocinatio est, rebelles per eam passionem de inseguo coniunguntur ciuitati, eique obsequium spondere intelliguntur; ita huins obsequii sui ueluti conditionem ponunt obseruantiam illius patti, a ciuitate eiusque rectoribus præstandam.
- II. Quia, nisi ipsi imperantes fidei seruandae habeant rationem, non apparet, quomodo eam utiliter a subiectis exigere possint? Cum sic plana uia aperiat perfidiae, ac periurio, et perpetuae inter regentes ac subiectos diffidentiae: qua re nihil periculosius Reipublicae existere possit. Quid uero mali prouenerit ex fide subiectis non seruata; id cum prisca, tum noua, multorum regnorum gentiumque exempla

restantur. Quod si minus optabilia eiusmodi pacta uideantur imperantibus; illud attendendum est, quod in secessione Plebis Romanae apud DIONYSIUM HALICARNASSENSEM, *Libr. VI*, pag. 377, differebant primores senioresque Senatus: *Alioquin Senatus non eo detrimentum accepturam, quod, necessarios casus fortiter ferens, tuta sequuntur consilia; sed, si per morosam iracundiam cladis reipublicae afferas. Imprudentium enim esse, decorum conscientia incoluntatem negligere. Optanda quidem esse utraque, si possint simul contingere; quod si autem alteriusrum negetur, salutem decoro preferendam esse, ut magis necessariam.*

III. Quia imperantes, prout argumentatur TESMARVS, ad GROTVM, non plus possunt, quam ipse DEVS. Iam autem DEVS, pro sanctitate et ueritate sua, neque uult, neque potest, reuocare promissa, quae rebellanti generi humano fecit, nisi eorum conditio denuo uiuletur.

III. Quia neque uim huiusmodi pactorum, quae tunc legum fundamentalium rationem induunt, tollit ius illud supereminens dominii, quod aliqui salutis publicae et summae necessitatis caussa in res et iura subiectorum tribuitur imperantibus: utpote quod non extendendum in abusum fidei, neque ad ea iura perpetuo auferenda, quae subiecti sibi acquirunt ex conuentione, aut contractu speciali, quo inter imperantem et subiectos contrahentes par nascitur obligatio, et utrique eodem obligationis nexu tenentur. Cuius sententiae hanc rationem subduxit ZILERVS, in notis ad Grotium: *Cum imperium, inquit, ad salutem publicam exerceri debeat, publica autem salus obserui nequeat, ubi res et iura subditorum carentur;*

tuntur; tunc neque imperii quidem iure, ia qzod subven-  
sis promissum est, renocari poserit.

**CONSENTIVNT:** PVFENDORFIVS, de iure Nat. et Genet.  
Libr. VIII, cap. VIII, §. 2. GVIL. VAN DER MVELEN, in  
Comment. ad Grotium, de iure B. et P. Libr. III, Cap. XIIX,  
§. 6. et 7. IVSTIVS HENNING. BOEHMERVS, in Introduct. ad  
Ius publ. universale, P. spec. Libr. II, cap. 2.

**DISSENTIVNT:** BARTOLVS, qui, ad l. conventionum de  
pactis, &c. hostibus priuatis, qui ius imperandi non habent,  
fidem seruari, necesse non putat. LIPSIVS, Libr. VI Po-  
litic. Cap. V: Offer blanda, inquit; imo ambigue promisse.  
Quid refert? Facile max irrisa facies, quae per sedi-  
tionem expresserint. Ego bonum hunc dolam soro offio ad-  
mitto. Falle, falle posuimus, quam caede! BALTH. AYALA,  
Antuerpiensis, quondam exercitus regii apud Belgas  
supremus Iuridicus, et apud Mechlin. Consiliarius,  
de Iure et Officiis bellicis, Libr. I, cap. VI, §. 8. (qui liber  
primum A. 1581 prodiit,) ubi docet, conventiones per ty-  
rannidem aut rebellionem expressas non esse seruandas. GVND-  
LINGIVS, in Iure Naturae, Cap. XII, §. 18.

## PROBLEMA XL

**A**d iustitiam contractuum permutorio-  
rum, siue onerosorum, lege naturali  
non necessaria est aequalitas pretii, et rei atque  
operac.

E K O E S I Z.

**OBSERV.** I. Non nulli Iuris naturae interpretes, (ut  
iam taceam legum ciuilium consultos,) tradidere, eos  
contractus onerosos demum esse iustos, in quibus adsit  
aequalitas rei ac pretii, ita, ut titerque contrahentium

An ius no-  
taras in  
contratti-  
bus exigat  
aequali-  
tatem rei  
aut operae,  
et pretii?

rantundem nanciscatur , atque, ubi etiam citra culpam contrahentium inaequalitas interuenerit, alteri , qui minus accepit, nascatur ius ad postulandum , ut suppleatur, quod sibi deest , aut ad contractum plane abrum- pendum: uti fere loquitur PVFENDORFIVS, *de O. H. et C. Libr. I. cap. XV. 3 et 4.* Qua autem regula adscita , dici non potest, quot difficultates , ob incertam pretii rationem, uariamque rerum et operarum aestimationem , exciterint in explicando contractuum iure. Nos autem exstimatorum, istam aequalitatem non necessariam esse ad constituendam diiudicandamque contractuum permutatoriorum iustitiam, neque ex inaequalitate re- rum , in quam consensum est , ubi nullus malus dolus intercessit, iustum causam existere recedendi a con- ventione. Dolum enim illum semper excipimus; qui uero *qualitate facti*, non *preiss quantitate*, iudicatur. Ceterum, onerosi , uel *permutatorii contractus* dicuntur, quando rerum operarumque fiunt permutationes, ita, ut utraque pars contrahentium aliquid praestare debeat. An onus utrinque semper aequale esse debeat, de hoc ipso iam disquirimus ? Huc adeo referuntur: *permuta-  
tio, emisio uenditio, locatio conductio, societas, item  
contractus innominati: do, ut des; do, ut facias; facio, ut des;  
facio, ut facias, &c.*

O B S E R V . II. Distinguendum uero est inter *leges na-  
tu-  
rales et ciuiles*. Naturalis lex , quae in statu libertatis, inter imperantes, liberosque populos , in uniuersum ualeat, non quidem improbat illam aequalitatem, si per pactio- nem sancita possit haberi , aut si contrahentes ultro in exempla et aestimationem allorum compromittant: alias tamen simpliciter et *dilectos* in opinione et consensu ipso- rum contrahentium de pretio aestimando acquiescit.

Atque

Atque adeo, secundum hanc legem, uti illustris BOEHMERVS, in *Introduct. ad Ius publ. universalē*, pag. 618, differit, in statu naturali quilibet rerum suarum est arbiter; quilibet pretium rebus operisque suis statuere potest, ut alter non possit conqueri de laesione; cum res per se pretium non habeant, sed ex hominum opinione et affectione consequantur.

Vnde et GVNDLINGIVS, I. N. et G. Cap. XXIV, §. 4 & 5; *Ynusquisque*, inquit, NATVRALITER rem suam nummumque comparare pro arbitrio potest. Non est iniustum, maioris rem locare, minoris emere, maioris vendere, ac desiderio suo innocentia ratione, sermone, factis, at sine dolo, uelificare: quoniam ante conuentionem non est pretium, multo minus iustum pretium; non est merces, multo minus iusta merces. Hinc non datur in hoc statu querela de laesione enormi atque enormissima: dummodo dolus abfuerit. &c. Lege ciuili autem aliquando omnino certa pretia rerum quarundam et operarum definiuntur, atque inde aequalitas in contractibus determinari potest. Nimirum, in *statu ciuili*, cui propriae sunt leges ciuiles, salus et ratio reipublicae non nulquam postulat, ut non tam libera potestas de rebus suis disponendi, quae in statu naturali obtinet, singulis permittatur. Inde nec pretia quarumuis rerum ex cuiusvis arbitrio dependent. Sequenda hic est uoluntas imperantis, qui aliquando, humanitatis, commoditatisque ciuium, caussa, certis rebus operisque prescribit pretium, quod hinc dicitur *legitimum*; cuius aequitas a contrahentibus et obseruari debet, et exigi potest: cum ordinarie nec maius recipiat, nec minus, adeo, ut tunc minima laesio, ac multo magis laesio ultra alterum tantum, attendatur. Vid. GVNDLINGIVS, Cap. XXV, 2. Cum quo legitimo pretio quodammodo conuenit *pretium forensē*, seu certa notionē uulgare: quan-

do

do uel prudentia suadet, uel aliquando ipsa lex quaedam ciuilis iubet, ut singuli contrahentium se accommodent ad iudicium maioris partis in republica, ut res suas haud facile maioris aestiment, quam vulgo et frequentissime, eodem tempore aestimari solent. Cuius autem pretii ratio, propter *variantes circumstantias*, aliquando dubiis obnoxia, iam habet aliquam latitudinem, neque tam exactam requirit aequalitatem. Imo, occurunt et in hoc ipso statu ciuili non paucae res operaequae singulares, quarum nec pretium lege stricta definitum, neque forense est, sed *singulare*, et mere *conuentionale*: quum eae res operaequae rarius in foro ac commerciis uersentur, singularesque aestimandi causas habeant; adeoque tunc solum, secundum legem naturalem, mutuo contrahentium arbitrio aestimandae relinquuntur. Tunc igitur tales res et operaetanti sunt, quanti a contrahentibus aestimantur. Iure Romano, demum ex Diocletiani et Maximiani, Imperatorum, sanctione, L. 2 Cod. de rescind. uenditione, in contractibus aequalitas fundamenti loco posita esse uidetur, sed ea tam laxa, ut laesio saltem ultra dimidium iniusta, et ad rescindendum contractum idonea habita sit. Quam uero aequalitatem *Cerebrinam* esse, peculiari dissertatione demonstrauit THOMASIUS. Duodecim Tabulae simpliciter a contrahentibus requisiuerunt, ut ea praestarentur, quae lingua essent nuncupata. Atque adeo humanitatem illam ciuilem, qua ob laesionem dimidia parte maiorem pretium restitui debet emtori, ni suppleatur, quod uerae aestimationi deest, ne quidem ante Diocletianum et Maximianum apud Romanos admissam fuisse, iam PETRVS AERODIVS animaduertit, Rerum iudicatar. Libr. IV, tit. VII, cap. 2. Conf. GROTIUS, de I. B. et P. Libr. II, Cap. XII, § 26.

OBSERV.

**OBSERV. III.** Sicuti autem evidens iuris ratio posita est in aequalitate consensus utriusque contrahentium; ita etiam uirtus, maximeque humanitas et liberalitas, coniungi potest cum huiusmodi contractibus: utpote quae uirtus non solum, (quod iam iure stricto iubemur,) sine fraude et insidiis agit, et ea praestat, quae sunt lingua nuncupata, neque, si interrogemur, dissimulat, aut inficiatur, uitia rerum, quae ueneunt: sed etiam ea ultro prodit, et aliquando pretium mercis in gratiam uenditoris liberaliter auget, aut in emtoris gratiam minuit, aut, quod alteri deesse uidetur, prompte ac sponte corrigit, et supplet. Verum, tunc hi contractus non sunt meri iuris, sed et humanitatis ac beneficentiae; quae a contrahentibus ui exigi cogique recte non potest. Sic, cum Graeci illi principes, Diomedes et Glaucus, quos HOMERVS commemorat, *Iliad. VI, u. 236, seqq.* arma inter se permutarent; ex iuris regula recte se habebat illa permutatio, neque se deceptum conqueri poterat Glaucus, cum adesset aequalis consensus permutantium, etiamsi aequalitas ualoris et pretii rerum, quae permutabantur, haud appareret: propterea, quod pro Diomedis armis aeneis, hisque nouem bobus ualentibus, Glaucus sciens uolensque dederat arma aurea, eaque centum bobus ualentia: siue hic, (quod Porphyrius ait,) ea ratione magnificentiam et amicitiam suam ostentare gestiit; siue, (quod Plutarchus, aduersus Stoicos scribens, coniicit,) arma aenea Diomedis, uiri fortis, aeque ac fortasse magis sibi in bello utilia, quam aurea, fore putauit. Quamquam etiam sint, qui istam permutationem imprudentiae Glauci tribuant. At luculentius exemplum emtionis cum humanitate coniunctae dedit Q. Scaeuola, qui, *cum postulasset, memorante CICERO, Libr. III de Offic.*

T

Cap. 15,

*Cap. 15, ut sibi fundus, cuius emitor erat, semel indicaretur, idque uendor ita fecisset, dixit, se pluris aestimare, addidisseque centum millia. Recte enim iudicante Cicerone, uero est, qui hoc boni uiri fuisse neges. Haud secus quod-dam amicitiae liberalitatisque certamen interueniebat inter Plinium et Corelliam, contrahentes: quam ille agros minore pretio Corelliae offerret quam publicani aestimassent; Corellia uero plus omnino humorum soluere uellet.* Vid. Plini *Liber. VII, epist. 14.*

OBSERV. III. Evidem GROTIUS, de I. B. et P. *Liber. II, cap. XII, §. 26*, in hac contiouersia distinguit inter *Ius Naturae*, et *Ius Gentium*; atque, uti alibi tradiderat, a *Jure Naturae* in contractibus imperari aequalitatem, ita quidem, ut ex inaequalitate ius oriatur minus habenti; sic, loco citato, docet, *iure gentium voluntario* inaequalitatem, in quam consensum est, ubi nec mendacium intercesserit, nec eius, quod dictum oportuit, reticentia, in actionibus exterioribus pro aequalitate haberet. Sed nobis ea distinctione opus non est. Male enim Grotius ad *Ius Gentium* voluntarium refert id, quod iam ipsi Iuri Naturae est proprium. *Ius autem Gentium*, quod ueram et uniuersalem afferat obligationem, a *Jure Naturae* distinctum, haud dari, iam alio loco demonstrauimus.

#### PROBATVR ΣΕΣΙΣ

I. Quia, uti ui dominii naturaliter dominus ius habet de re sua libere disponendi; ita et ius habet eam rem libere aestimandi. Iam autem, qui utitur iure suo, nemini censetur facere iniuriam. Vnde sequitur, ut in statu naturali quarumvis rerum et operarum pretia ex opinione et conuentione contrahentium definiantur, neque inaequalitas alia, siqua adesse

adesse uideatur, contractum reddat iniustum atque irritum. Quia de re egregie philosophatur PV-FENDORFIVS, de I. N. et G. Libr. V. Cap. I, §. 8; qui locus merito conferendus est.

II. Quia, si naturam pretii spectemus, id ex comparatione rei cum aliis rebus nascitur, et in *relatione* consistit. Ista autem *relatio* non in re ipsa, sed extra rem extat, et a nostra dependet ratiocinatione ac uoluntate, quae res inter se comparat aestimante. Atque adeo, quamuis sint uariae caussae occasionesque aestimandi pretii; tamen, cum eae non sint uniuersales, neque ab omnibus agnoscantur, aut certe non paribus oculis animisque spectentur; sequitur, ut in uita sociali, ubi pretia rerum non lege quadam sunt descripta, non tam internus quidam, isque aequalis, ualor rerum, quam opinio et consensus aequalis contrahentium, proximum fundamentum aequalitatis in contractu oneroso esse possit, ita quidem, ut quiuis contrahentium id accipiat, quod in praesenti se uelle declarat, ac quod sciens uolensque paciscitur. Quamobrem recte de hac re iudicauit SENECA, Libr. VI de Benef. cap. 15. *Quid interest, inquit, quanti sit, cum de pretio inter ementem et uendentem consenseris?* Atque idem, Epist. LXVI: *Ex opinione, inquit, non ex natura, pretia rerum ponuntur.*

III. Quia, si ubique iusta aequalitas rerum in contractibus onerosis haberi deberet; tunc demum eo iustiores forent hi contractus, quo accuratior esset aequalitas pretii: e contrario autem, quamuis uulgo tradant, eam aequalitatem non nimis scrupulose aestimandam, aut quasi ad punctum mathemati-

cum redigendam esse; nihilominus sequeretur, ut, quo maior sit inaequalitas, eo maior appareat contractus iniustitia; quo minor inaequalitas, eo minoris quidem, tamen iniustitiae peccatique, adsit ratio. At enim uero, sic magis impedirentur sufflaminarenturque, quam prouerherentur commercia, facileque opprimeretur industria hominum; si quidem iniustum foret, neque saluo iure liceret, aliquid lucri ex quadam inaequalitate decerpere. Imo, si ab exacta pretii aequalitate ubique dependeret iustitia contractuum, nunquam facile acquiescere posset conscientia contrahentium; cum indoles negotiorum humanorum, et uariae illae incertaeque aestimandi rationes, haud permittant, ut pretia rerum accurata proportione diuidentur, atque constituantur. Taceo, si propter inaequalitatem istam demendum sit ei, qui plus habet, addendumque minus habenti, ob incertas eas, quas commemorauimus, pretii rationes, nullum fere contractum fore ualidum firmumque, neque posse non difficultates litesque infinitas in societate humana existere; cum alterutri parti contrahentium non facile defuturae essent rationes occasionesque, unde inaequalitatem pretii arguant. Denique et hic ea expendenda, ac cum his, quae paullo ante exposuimus, coniungenda sunt, quae de ista aequalitate iudicavasq[ue]vis, loco mox excitando: *Si dixeris, inquit, contractus inaequalitatem tolerabilem esse in parua laesione, non in maiori; replicabo, quae differunt tanquam plus et minus, nibil differre specie.* Vnde, si peccatum est in magno, in parvo quoque erit, non ita magnum; sique peccatum ex toto non abesse poterit ab illo.

*ullo fere hominum commercio: quod quam absurdum ac perniciosum fore, evidensius est, quam ut illa demonstratione indiget.*

III. Quia, quod ex indole contractuum beneficorum et aetiam continentium intelligimus, liber consensus, et data fides in pactum inaequale, non minus ualere debet, ac si aequalis sit contrahentium conditio. Ergo, licet etiam inaequalitas pretii in contractibus onerosis interuenerit, libere tamen pacientibus uolentibusque non sit iniuria, ac manet utrobique obligatio. Ex his igitur omnibus, ut opinamur haud obscure conficitur, aequalitatem pretii ad iustitiam contractuum non esse necessariam, illamque regulam generalem de aequalitate seruanda, ubi non certa rerum pretia definita sunt, esse lubricam, incertam, et offendendae conscientiae obnoxiam.

CONSENTIVNT: FERD. VASQVIUS, *illustrium Controvers.* Libr. VI, Cap. XLVIII, §. 1 & 2, ubi contrariam sententiam tam perniciosa uocat, ut plerosque hominum possit ad teterrimas inferorum sedes praecipites dare. THOMASIVS, in *Dissert: de aequitate cerebrina l. 2 Cod. de rescind. uenit.* GVNDLINGIVS, in *Iure Nat. et Gent.* Cap. XXIII, §. 5 et 23; et Cap. XXIV, §. 6. GRIBNERVS, in *Principiis Iur.* N. et G. Libr. I, Cap. VII, §. 6. FLEISCHERVS, in *Instit. I.* N. et G. Libr. II, Cap. XI, §. 9. KEMMERICHIUS, in *Elements.* I. N. et G. Libr. I, Cap. XV, §. 11, 12.

DISSENTIVNT: LESSIVS, *de Iustitia et Iure*, Libr. II, Cap. 21. Dubit. III, pag. 276. GROTIUS, *de Iure B. et P.* Libr. II, Cap. XII, n. 12. PVFENDORFIUS, *de I. N. et G. Libr. V*, Cap. III, §. 1. VITRIARIUS, in *Institut. I. N. et G. Libr. II*, Cap. XII, §. 18, 15. TESMARVS, in *Comment. ad Grotium*, l. c. sub Lit. C.

*d. Naturae lex, inquit, ob quamlibet laesionem rescindit contractum, imperatque simpliciter aequalitatem; ciuilis uero tunc demum, quando laesio ultra diridium iusti pretii adscendit.* IAEGERV<sup>S</sup>, *in Observat. ad Grotianum de I. B. et P. pag. 341.* VVEIDLERV<sup>S</sup>, *in Inst. I. N. et G. Cap. VIII, Sect. V, s. 13. et. Sect. VI, s. 71, 72.* VALENT. VELTHREM, *in Introduct. ad Grot. I. B. et P. pag. 960.*

## V PROBLEMA XLII.

*An usurae  
repugnant  
Iuri Nat.*

### SYRAE non repugnant Iuri Naturae.

E K Θ E Σ Ι Σ.

OBSERV. I. *De usuris et foenore uetus ac frequens quaestio est. Usura uero est accessio, quae creditori datur pro usu fortis. Supersedemus copiosa expositione, cum huius argumenti pleni sint libri, plena uolumina.*

OBSERV. II. *Ius Naturae strictum haud quidem determinat quantitatem usurarum, adeo, ut nec Anatocismum intersponte pacientes reiiciat: aequitatis tamen rationes commonstrant, mordentes omnino esse illas usuras, quae ab egenis nimis rigide extorquentur, aut ultra modum usus commodique extenduntur. Inani autem excusatione usus est Philippus II, Rex Hispaniae, cum Genuensibus pro usu fortis XII Millionum nollet soluere usuras promissas, caustatus, has tanquam iure naturae illicitas a se exigi non posse: cum tamen postea et ipsam fortem reddere detrectaret.*

PROBATVR ΘΕΣΙΣ.

- I. *Quia generatim, neque iniustum, neque inhonestum, (imo aliquando prudentiae potius est,) fructum utilitatemque e re sua sine aliorum iniuria capere. Alias eximiūs proprietatis commerciorumque usus periret.*
- II. *Quia ei nulla fit iniuria, qui pro rei nostrae usu mercedem quandam, h. c. usuram aequam, quam*

quam sciens prudensque pactus erat, soluere deberet.

**III.** Quia in usura potest animaduerti quaedam utilitatum permutatio non iniusta, neque iniqua. Cum enim alter pecunia nostra res suas conseruat, uel augget, adeoque, nobis uolentibus, inferuit utilitati fuae; tum nos, pro pecuniae nostrae usu, quo interim carremus, non nihil in compensationem accipimus, ut nec omni utilitate rei nostrae destituamur. Sic adeo suis quiske commodis mutua contrahentium uoluntate consulit, atque alter quidem usum sortis fuae, alter usuram, sive premium quoddam illius usus, confert, non improbante recta ratione, quae uult, ut homines, quando et quoad possunt, mutuo aliquid ad commune bonum conferant.

**III.** Quia usura, si rerum simplicitatem, nec solam iuris ciuilis subtilitatem, spectemus, instar locacionis conductionis est. Vnde et ueteres quidam scriptores iisdem loquendi formulis utuntur. v. g. PLATVS, *Mosellar. III. I. HORATIVS, Libr. I. Sermon. Sat. II. n. 9 et 14. et PERSIVS, Sat. VI. n. 67.* Sicuti ergo propter usum aedificii locati nitercedem; sic et propter usum pecuniae locatae, usuram, tanquam mercedem, nobis a conductore stipulari licet. Quod si uero non liceat ex alterius usu pecuniae nostrae fructum quendam capere; tum neque fas fuerit, ex labore nostro, operaque, aut agro, aut aedibus, ceterisque rebus alii locatis, fructum quendam atque utilitatem admittere. Dum enim pecunia uice omnium rerum, quae in commercium ueniant, fungi potest; eiusdem pecuniae et aliarum rerum nostrorum morali aestimatione par est ratio.

**V.** Quia, quamvis sint ueluti gradus quidam officiorum,  
in pri-

in primis que laudabile sit, pro nostra aliorumque conditione, ex humanitate ac liberalitate gratis benefacere: attamen nec coniunctioni humanae repugnat, aliis etiam, interueniente quodam quasi redhostimento, mutuoque commodo, subuenire. Neque enim iubemur, semper et omnibus nostra ita clargiri, ut nos nostrique ipsi tandem perire, misereque uiuere, necesse habeamus. Negato autem omni pecuniae fructu lucroque, hoc rerum statu, societati humanae, et ipsis indigentibus, multo plus incommodi, quam commodi, nasceretur.

**VI.** Quia DEVS, licet lege politica inter Hebraeos, pro conditione illius Reipublicae, prohibuerit usuras; non tamen prohibuit inter Hebraeos et peregrinos. DEVT. XXIII, 19. 20. Iam si usurae per se, et toto suo genere, turpes ac flagitiosae essent, a sanctissimo Numinе nullo casu earum exercitium concedi potuisse.

**CONSENTIVNT:** TOSTANVS, *Comment. in cap. XXV Matthaei,* qu. 171. SALMASIUS, *de usuris et foenore Trapezitico,* CASP. ZIEGLERVS, *in Dissert. de Monatra contractu, Vitembergae A. 1663,* edita; BALDVINVS, *In Casibus conscient. Cap. III, cas. IV, n. 5,* PVFENDORFIUS, *de I. N. et G. Libr. V, cap. VII, §. 1, 2, 3.* IO. ANDR. VANDER MVELEN, ict. Ultrai. *in Ford conscientiae, P. III,* Quaest. V, pag. 512. MART. SCHOOCKVS, *in Exercitationibus uariis, n. XXVIII. de usura Trapezitica;* qui auctor multo plures huius argumenti scriptores in utramque partem enumerat. In primis uero commendandus est GER. NOODT, celeberr. ICtus Batauus, *de foenore et usuris.*

**DISSENTIVNT:** CHRYSOSTOMVS, *in Cap. XVII Matthaei,* Homil. LVI. ARISTOTELES, *Libr. I de Republ. cap. X,* AZORIVS, *Institut. moral. Libr. V, cap. 2.* BACHOVIVS, *ad Treutler. Vol. II,* Disput. 3, thes. 1, lit. B. Multo plures Patres ecclesiastici, et Scholastici Doctores, et Iuris Canonici interpretes, maxime *ad Titul. Decretal. Greg. de Usuris.* PRO-

**COROLLARIA**  
*DISQVISITIONIBVS ACADEMICIS*  
**PROBLEMATVM**  
**JVRIS NATVRAE ET GENTIVM**  
**PARTIM A PRAESIDE PARTIM A RESPONDENTIBVS**  
**S V B I E C T A .**

---

**COROLLARIA**  
*DISQVISITIONIS II.*

- I. Etiam Vasallus feudi illustris habere potest maiestatem.
- II. Principis uxor tutelam filii gerere potest.
- III. Filii in feudis succedere non possunt, qui ex matrimonio ad morganaricam procreati sunt.
- III. Ad dominium in rem, quae in nullius adhuc est dominio, per occupationem acquirendum, non necessario requiritur aliorum consensus.
- V. Testamenta etiam ualent Iure naturae.

**COROLLARIA**  
*DISQVISITIONIS III.*

- I. Diuisio non potest esse modus acquirendi dominii originarius.
- II. Qui occupat rem nullius, animum habendi simul declarat; at, non omnis, qui simpliciter uult rem nullius, et animum habendi solis uerbis scriptisque declarat, occupasse intelligitur.
- III. Potest etiam aliqua usucapio rerum ius constituere, si ne demonstratione bonae fidei.
- III. Graue furtum committeret, si quis per artem posset

ex alicuius insciis et iniusti hypocausto aerem commodum fraudulentius extrahere.

### COROLLARIA DISQVISITIONI III.

- I. Quousque rerum Norimbergensium memoria extat, Norimberga ex antiquis et fide dignis rerum Germanicorum documentis cognoscitur Civitas imperialis, et a nexus municipaliter libera.
- II. Ius uitae et necis in liberos ciuium, quod LUDOVICVS Bauarus, Imperator, A. CL<sup>o</sup> CCCXX Norimbergensibus concessit, a quibusdam iuris publici et naturalis scriptoribus non satis intellectum, frustraque ~~terribile atque horribile~~ priuilegium uocatum, uidetur.
- III. Est in statu ciuili constitui potest, et legibus Romanis sanctum est, ut legitimus dominus, qui suam sibi rem uult vindicare, neque malae, neque bonae, fidei possessori obligetur ad reddendum premium pro re sua ab eo possessa; aequitati tamen naturali atque humanitati convenientius est, ut legitimus dominus bonae fidei possessori interea saltem dimidium premium, quod hic pro re possessa dederat, reddat, soiuatque.
- IV. Apud Romanos ueteres Ordinis equestris gradus non afferebat nobilitatem, quae ius imaginum daret familiæ.

### COROLLARIA DISQVISITIONIS V.

- I. Ob ingressum transitumque denegatum, Alexander iniuste bellum intulit Tyriis.
- II. Lacones, ab Ilocrate recte dicuntur iure usucaptionis repulisse Persas, qui Messenam, ultra quatuor saecula a Laconibus possessam, repetebant.
- III. Per-

III. Periurium erat Comitis Fontani, qui, commemorante Priolo, iureiurando se obstrinxerat, se neque equitem, neque peditem, pugnare aduersus Gallos unquam uelle; cum postea *sella gestatoria uectus* id ficeret.

IV. Periuri haud fuissent Israelitae, cum iurassent, non daturos se in matrimonium filias Beniaminitis, etiamsi nihilominus deinceps his eas simpliciter et ultiro in matrimonium dedissent.

V. Secundum Ius naturae minus ualida erat ratio reuocandi pacti, iureiurando firmati, cum Franciscus I, Rex Galliae, praetenderet, sua promissa Carolo V, Imperatori Madriti in captiuitate facta, propter metum ab initio fuisse irrita atque nulla.

### CROLLARIA DISQVISITIO NIS VI.

I. Non iniustum futurum fuisset bellum, quod Maximilanus I, Rex Romanorum, meditabatur aduersus Carolum VIII, Regem Galliae; cum hic repudio filiae eius, Margaretae missa, rapuisset Annam Britannam, eidem Maximiliano rite desponsam.

II. Gustauus Adolphus, Rex Sueciæ, post elapsas inducias, recte non iudicauit necessarium, Polonis bellum per feales indicere, quamquam Poloni id ipsi exprobrarent, commemorante Loccenio, Libr. VIII histor. Suecan. ad A. 1630.

III. Antiquum, neque improbadum, exemplum *reprehensiarum* Homerus refert de Nestore, qui, ob abiegatum ab Elidensibus commissum, alia armenta, tanquam pignora, ab his abegit.

IV. Contra ius naturae egerunt Romani, qui hostium duces, siue captos, siue deditos, triumphi die occiderunt.

**COROLLARIA**  
**DISQVISITIONIS VII.**

- I. In praelio , ad Cannas , cum alter Romanorum Consul , Ter. Varro , effugisset ; alter , L. Paullus Aemilius , occidi maluisset : dubitat Florus , Lib. II , cap. 6 , uter tunc maiore animo fuisset ? Nos pro Varrone pronuntiamus .
- II. Peccarunt utique , qui quondam ab hostibus Ecclesiae de- poposcerunt potius , quam expectarunt , martyria .
- III. Impia  $\pi\varphi\alpha\sigma\alpha$  excusauit perjurium Hippolytus apud Euripidem , ubi dixit : 'Η γλῶσσος' θμωμοχ' , η δε φρήν αγνώστος . i. e. *luraui lingua ; mentem iniurata gero.*
- IV. Patres familiarum segregum , pro re nata , idem ius in uitam et bona liberorum , ac clientum seruorumque suorum , ui iuris naturae recte exercere potuerunt , quod hodie exercent imperataes in statu ciuili .
- V. Non nisi fabula est illa narratio , quae de Margaritae Hennebergicae partu ccclxv liberorum diu circumlata fuit .

**COROLLARIA**  
**DISQVISITIONIS VIII.**

- I. Quicquid uoluntas appetit , est bonum .
  - II. Sola *intentio* bona actionem humanam non reddit bonam .
  - III. Inter iustas et iniustas actiones haud dantur mediae , siue indifferentes .
  - IV. Regula , quam nonnulli ad leges interpretandas commendant : *favorabilitas esse extendenda ; odiofa uero restrin- genda* : neque certo nicitur fundamento , neque in applicatione locum habet .
  - V. Omnes contractus sensu Iuris naturae sunt *consensuales* .
  - VI. Ad iustitiam contractuum onerosorum , neque necessaria est , neque facile haberi potest , *aequalitas rei ac pretii* :
- at-

atque extra leges ciuiles etiam exceptio laesioris ultra dimidium euangelicit.

VII. Non tam traditio ad transferendum dominium requiriatur, quam consensus mutuus.

VIII. Privilegia, in primis quae cum onere impetrata sunt, saepius habent aliquid pacti; quod utique ius dat acquirentibus. Sed neque omne gratiosum mutationi arbitriae est obnoxium.

VIII. In Annalibus Steronis ad Annum 1213 haec legimus annotata: *Regina Gertruda Vngarorum, mater sanctae Elisabet, sponso expeditionem contra Ruthenos mouente, a Comite quodam Petro trucidatur, qui et ipse subsequenti nocte in unctionem sceleris cum aliis ingulatur. Cui Episcopus de Gran misit in Epistola amphibologica: REGINAM OCCIDERE NOLITE TIMERE BONVM EST. SI OMNES CONSENTIVNT EGO NON CONTRADICO.* Quae uerba, quamvis pro diuersa interpunctione duplicitatem sententiam habeant; culpam ramen episcopi, tanquam caussae moralis homicidii, magis augent, quam excusant.

X. Lacedaemonii possessionem malae fidei potius evidentius confessi sunt, quam purgarunt, cum, memorante Diodoro Siculo, Lib. XV, et Plutarcho in Pelopida, damnarent quidem Phoebidam, ducem suum, a quo Cadmea Thebanorum arx contra foedus capta erat, at ipsi arcena nihilominus retinerent.

### COROLLARIA DISQVISITIONIS VIII.

- Exemplum emtionis spei animaduertimus apud Valer. Maximum, Libr. IV, cap. I, exter. n. 7. *Apiscatoribus, inquit, in Milesia regione, uerriculum (i.e. rete,) trabentibus, quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis*

inprimisque laudabile sit, pro nostra aliorumque conditione, ex humanitate ac liberalitate gratis benefacere: attamen nec coniunctioni humanae res pugnat, aliis etiam, interueniente quodam quasi redhostimento, mutuoque commodo, subuenire. Neque enim iubemur, semper et omnibus nostra ita clargiri, ut nos nostrique ipsi tandem perire, misereque uiuere, necesse habeamus. Negato autem omni pecuniae fructu lucroque, hoc rerum statu, societati humanae, et ipsis indigentibus, multo plus incommodi, quam commodi, nasceretur.

**VI.** Quia DEVS, licet lege politica inter Hebraeos, pro conditione illius Reipublicae, prohibuerit usuras; non tamen prohibuit inter Hebraeos et peregrinos. DEVT. xxiii, 19. 20. Iam si usurae per se, et toto suo genere, turpes ac flagitiosae essent, a sanctissimo Numinе nullo casu earum exercitium concedi potuissent.

**CONSENTIVNT:** TOSTANVS, *Comment. in cap. XXV Matthaei, qu. 171.* SALMASIUS, *de usuris et foenore Trapezitico, CASP. ZIEGLERVS, in Dissert. de Mobsra contractu, Vitembergae A. 1663, edita;* BALDVINVS, *In Casibus conscient. Cap. III, cas. IV, n. 5,* PVFENDORFIUS, *de I. N. et G. Libr. V, cap. VII, §. 1, 2, 3.* IO. ANDR. VANDER NVELEN, *ict. Ultrai. in Foro conscientiae, P. III,* Quæst. V, pag. 512. MART. SCHOOCKIVS, *in Exercitationibus uariis, n. XXVIII. de usura Trapezistica;* qui auctor multo plures huius argumenti scriptores in utramque partem enumerat. In primis uero commendandus est GER. NOODT, celeberr. ICtus Batauus, *de foenore et usuris.*

**DISSENTIVNT:** CHRYSOSTOMVS, *in Cap. XVII Matthaei, Homil. LVI.* ARISTOTELES, *Libr. I de Republ. cap. X,* AZORIVS, *Institut. moral. Libr. V, cap. 2.* BACHOVIVS, *ad Treutler. Vol. II, Disput. 3, thes. 1, lit. B.* Multo plures Patres ecclesiastici, et Scholastici Doctores, et Iuris Canonici interpretes, maxime *ad Titul. Decretal. Greg. de Usuris.* PRO-

**COROLLARIA**  
*DISQVISITIONIBVS ACADEMICIS*  
**PROBLEMATVM**  
**IVRIS NATVRAE ET GENTIVM**  
**PARTIM A PRAESIDE PARTIM A RESPONDENTIBVS**  
**SUBIECTA.**

**COROLLARIA**  
*DISQVISITIONIS II.*

- I. Etiam Vasallus feudi illustris habere potest maiestatem.
- II. Principis uxor tutelam filii gerere potest.
- III. Filii in feudis succedere non possunt, qui ex matrimonio ad morganaticam procreati sunt.
- III. Ad dominium in rem, quae in nullius adhuc est dominio, per occupationem acquirendum, non necessario requiritur aliorum consensus.
- V. Testamenta etiam ualent Iure naturae.

**COROLLARIA**  
*DISQVISITIONIS III.*

- I. Diuisio non potest esse modus acquirendi dominii originarius.
- II. Qui occupat rem nullius, animum habendi simul declarat; at, non omnis, qui simpliciter uult rem nullius, et animum habendi solis uerbis scriptisque declarat, occupasse intelligitur.
- III. Potest etiam aliqua usucapio rerum ius constituere, si ne demonstratione bonae fidei.
- III. Graue furtum committeret, si quis per artem posset

V

ex

*ex alicuius insculi et iniusti hypocrito aerem commodum  
fraudulenter extrahere.*

### COROLLARIA *DISQVISITIONI III.*

- I. Quousque ferum Norimbergensium memoria extat, Norimberga ex antiquis et fide dignis rerum Germanicarum documentis cognoscitur Ciuitas imperialis, et a nexu municipaliter libera.
- II. Ius uitae et necis in liberos ciuium, quod LUDOVICVS Bauarus, Imperator, A. C. CCCXX Norimbergensibus concessit, a quibusdam iuris publici et naturalis scriptoribus non satis intellectum, frustraque *terribile atque horribile privilegium* uocatum, uidetur.
- III. Exsi in statu ciuili constituti potest, et legibus Romanis sanctum est, ut legitimus dominus, qui suam sibi rem uult vindicare, neque malae, neque bonae, fidei possessori obligetur ad reddendum premium pro re sua ab eo possessa; acuitati tamen naturali atque humanitati convenientius est, ut legitimus dominus bonae fidei possessori interea saltem dimidium premium, quod hic pro re possessa dederat, reddat, soluatque.
- IV. Apud Romanos veteres Ordinis equestris gradus non afferebat nobilitatem, quae ius imaginum daret familiac.

### COROLLARIA *DISQVISITIONIS V.*

- I. Ob ingressum transitumque denegatum, Alexander iniuste bellum intulit Tyriis.
- II. Lacones, ab Ilocrate recte dicuntur iure usucaptionis repulisse Persas, qui Messenam, ultra quatuor saecula a Laconibus possessam, repetebant.
- III. Per-

- III. Periurium erat Comitis Fontani, qui, commemorante Priolo, iureiurando se obstrinxerat, se neque equitem, neque peditem, pugnare aduersus Gallos unquam uelle; cum postea *sella gestatoria uectus* id ficeret.
- III. Periuri haud fuissent Israelite, cum iurassent, non daturos se in matrimonium filias Beniaminitis, etiamsi nihilominus deinceps his eas simpliciter et ultro in matrimonium dedissent.
- V. Secundum Ius naturae minus valida erat ratio reuocandi pacti, iureiurando firmati, cum Franciscus I, Rex Galliae, praetenderet, sua promissa Carolo V, Imperatori, Madriti in captiuitate facta, propter metum ab initio fuisse irrita atque nulla.

### CROLLARIA DISQVISITIONIS VI.

- I. Non iniustum futurum fuisse bellum, quod Maximilanus I, Rex Romanorum, meditabatur aduersus Carolum VIII, Regem Galliae; cum hic repudio filiae eius, Margaretae, missa, rapuisse Annam Britannam, eidem Maximiliano rite desponsam.
- II. Gustavus Adolphus, Rex Sueciae, post elapsas inducias, recte non iudicauit necessarium, Polonis bellum per factales indicere, quamquam Poloni id ipsis exprobrarent, commemorante Loccenio, Libr. VIII histor. Suecan. ad A. 1630.
- III. Antiquum, neque improbadum, exemplum *repressariorum* Homerus refert de Nestore, qui, ob abiegatum ab Elidensibus commissum, alia armenta, tanquam pignora, ab his abegit.
- IV. Contra ius naturae egerunt Romani, qui hostium duces, siue captos, siue deditos, triumphi dic occiderunt.

**COROLLARIA  
DISQVISITIONIS VII.**

- I. In praelio , ad Cannas , cum alter Romanorum Consul , Ter. Varro , effugisset ; alter , L. Paullus Aemilius , occidi maluisset : dubitat Florus , Lib. II , cap. 6 , uter tunc maiore animo fuisset ? Nos pro Varrone pronuntiamus .
- II. Peccarunt utique , qui quondam ab hostibus Ecclesiae de- poposcerunt potius , quam expectarunt , martyria .
- III. Impia ~~προφάσσει~~ excusauit perjurium Hippolytus apud Euphridem , ubi dixit : 'Η γλῶσσ' ὀμώνωχ' , η δὲ φρήν αὐτόμοτος .  
i. e. *Iuraui lingua ; mentem iniurataam gero.*
- III. Patres familiarum segregum , pro re nata , idem ius in uitam et bona liberorum , ac clientum seruorumque suorum , ui iuris naturae recte exercere potuerunt , quod hodie exercent imperataes in statu ciuili .
- V. Non nisi fabula est illa narratio , quae de Margaritae Hennebergicae partu ccclxv liberorum diu circumlata fuit .

**COROLLARIA  
DISQVISITIONIS VIII.**

- I. Quicquid uoluntas appetit , est bonum .
- II. Sola intentio bona actionem humanam non reddit bonam .
- III. Inter iustas et iniustas actiones haud dantur mediae , siue indifferentes .
- III. Regula , quam nonnulli ad leges interpretandas commendant : *fauorabilia esse extendenda ; odiosa uero restrin- genda* : neque certo ntitur fundamento , neque in applicatione locum habet .
- V. Omnes contractus sensu Iuris naturae sunt *consensuales* .
- VI. Ad iustitiam contractuum onerosorum , neque necessaria est , neque facile haberi potest , *aequalitas rei ac precii* :

at-

atque extra leges ciuiles etiam exceptio laesioris ultra dimidium euangelicit.

VII. Non tam traditio ad transferendum dominium requiriatur, quam consensus mutuus.

VIII. Priuilegia, in primis quae cum onere impetrata sunt, saepius habent aliquid pacti; quod utique ius dat acquirentibus. Sed neque omne *gratiosum* mutationi arbitriae est obnoxium.

VIII. In Annalibus Steronis ad Annum 1213 haec legimus annotata: *Regina Gertruda Ungarorum, mater sanctae Elisabet, sponso expeditionem contra Ruthenos mouente, a Comite quodam Petro trucidatur, qui et ipse subsequenti nocte in ultionem sceleris cum aliis iugulatur. Cui Episcopus de Gran misit in Epistola amphibologica: REGINAM OCCIDERE NOLITE TIMERE BONVM EST. SI OMNES CONSENTIVNT EGO NON CONTRADICO.* Quae uerba, quamuis pro diuersa interpunctione duplicit sententiam habeant; culpam tam episcopi, tanquam caussae moralis homicidii, magis augent, quam excusant.


X. Lacedaemonii possessionem malae fidei potius evidentius confessi sunt, quam purgarunt, cum, memorante Diodoro Siculo, Lib. XV, et Plutarcho in Pelopida, damnarent quidem Phoebidam, ducem suum, a quo Cadmea Thebanorum arx contra foedus capta erat, at ipsi arcem nihilominus retinerent.

### COROLLARIA DISQVISITIONIS VIII.

3. Exemplum emptionis spei animaduertimus apud Valer. Maximum, Libr. IV, cap. I, exter. n. 7. *Apiscatoribus, inquit, in Milesia regione, uerriculum (i.e. rete,) trahentibus, quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis*

ris aurea mensa Delphica, orta conoverfera est: illis pescium se capturam uendidisse affirmantibus, hoc fortunam iratus se emisse diceute. Quia conditione, proper uinitatem rei, et magnitudinem pecuniae, ad uniuersum eius ciuitatis populum delata, placuit, Apollinem Delphicum consuli: cuinam adiudicari mensa deberet? DEV respondit, illi esse dandum, que sapientia omnes praestares. Quod iudicium uti fraudi sacerdotum Apollinis Delphici, sibi hoc munus inuentum vindicare intendentium, tribuimus; ita expendendum iudicamus: utrum haec aurea mensa in libero mari, an clauso, fuerit reperta? Si in mari clauso, quod certi est domini; ea ipsa mensa naturaliter neque ad pescatores, neque ad eum, qui iactum retis emerat, pertinuit. Sin in mari libero; ex aequitatis rationibus utique in partem aqualem thesauri uenire, eiusque premium diuidere inter se, debuissent.

II. Referente Quintilianu, Libr. V Insis. onas. cap. X: cum Thebas exuerisset Alexander, inuenit tabulas, quibus centum talenta murua Thessalis dedisse Thebanos conuecebat. Has, quia erat usus comitissimo Thessalarum, donauit his ultra. Postea restituti a Cassandro Thebani reposcunt Thessalos. Nos iudicamus, Thessalos omnino liberatos fuisse obligatione soluendorum €, talentorum.





10. 41  
8. 28  

---

19. 69

29. 40  
4. 12  

---

26. 18.  
3. 18.  
1. 30  
8. —  
1. 12  

---

24. 18.  
19. 12  

---

20. 6

4) 17. 10.  
6. 8.  

---

25. 18.  
a) 8. —